CONSTITVTIONES

editæ, et promulgatæ

IN SYNODO DIOECESANA

PLACENTINA;

QVAM ILLVSTRISSIMVS ET REVERENDISSIMVS

D. D. PAVLVS DE ARETIO, postea Archiepiscopus Neapolitanus

S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS,

Dei, et Apoſtolicæ ſedis gratia

EPISCOPVS PLACENTIAE, ET COMES,

habuit anno M. D. LXX. die xxvij. Auguſti.

Additis præterea ſummorum Pontificum conſtitutionibus, et decretis Tridentini Concilij, vulgari ſermone expreſsis, quæ promulgari iuſſum eſt.

PLACENTIAE

Apud Franciſcum Comitem. 1570.13



In nomine ſanctæ, et indiuiduæ Trinitatis,

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

AMEN.

PAVLVS DE ARETIO,

S. R. E. Presbyter Cardinalis

Dei, et Apoſtolicæ ſedis gratia

EPISCOPVS PLACENTIAE, ET COMES,

Vniuerſo noſtro Clero Placentino

ſalutem in Domino.



VANTA ſollicitudo illorum eſſe debeat, qui paſtores animarum sũt, id cum antea prophetarũ ſignificationibus demonſtratum eſt, tum maxime ſummus paſtorum princeps, Chriſtus Ieſus Dominus doctrinæ præceptis, ac vitæ exemplis docuit. Quod cum aliquando, vt ſane debemus, animo, menteq. repetamus; videmus profecto, quam vigilantes, quam ſollicitos in

hac paſtorali cura nos eſſe oporteat,in qua non dignitatis modo amplitudinem, ſed laboris magnitudinem,nec honoris ſolum præſtantiã, ſed oneris difficultatem conſideramus. nam cum paſtoralis curæ officiũ multiplex ſit, tum illud graue, ac magnum videtur, non modo ſe, verum etiam alios, in fidem traditos, ab omni vitiorum labe puros, atque integros conſeruare, tum peccantibus item remedia adhibere, quæ opportuna ſint,quæ optima, quæque ſalutaria. itaque ea tacita paſtoralis muneris cogitatione nos ad gregis noſtri ſalutem incitati, in tantis præſertim morum erroribus,quibus implicitam hanc mundi faciem cernimus,vt ouiũ, quæ nobis concreditæ ſunt, a recta aberrantiũ, ſaluti paterna cura,quantum in nobis eſſet,pro ſpiceremus,eam inire rationem voluimus, quã duce ſpiritu ſancto, optimorum conſiliorum auctore, Tridentini Patres de diœceſana Synodo ſtatuerunt. Quare et ſacroſanctæ illius conſtitutionis,cui obtemperandum eſt, auctoritate, et Epiſcopalis noſtri officij ratione adducti, diœceſis noſtræ Synodum conuocare cenſuimus. in qua nobis nihil aliud propoſitum fuit,

niſi vt,

nisi vt, perspectis Ecclesiæ huius tum antiquis, tum alijs constitutionibus, et cognito diœcesis statu, ea vel statueremus, vel renouaremus, quæ ad restituendam, et conseruandam pie viuendi disciplinam vobis præsertim, qui clericalis ordinis estis, vsui essent, atque adiumento. Decreta igitur hæc confecimus, quæ partim a priscorum canonum sanctionibus, partim a veteribus, et alijs huius ecclesiæ constitutionibus, partim a Tridentino Concilio accepta, partim a nobis ad clericorum mores, vitamq. conformandam excogitata, vno hoc libro complecti voluimus. idq. eo consilio fecimus, vt quæ dissipata essent, illa in vnum collecta, atque vobis quasi vno in conspectu proposita, facilius, commodiusq., vt debetis, legeretis, tum etiam intelligeretis clericalis vestri ordinis disciplinam, in qua vos sancte, pieq. versari oportet. Quamobrem date operam, vt hæc ipsa decreta, quæ vobis iam paterno animo edicimus, ac promulgamus, vos illa obedientiæ spiritu suscipientes, quo maximo potestis studio, non inuiolate solum ipsi obseruetis, verum etiam in vsum, et consuetudinem eorum, qui vestræ curæ commissi

misſi ſunt, inducatis. Spiritus igitur Dei habitet in vobis, vt diuino eius lumine ad officij, munerisq. veſtri partes excitati, abiecta morum caligine, reliquis hominibus iuſtitia, miſericordia, continentia, fortitudine, charitate, & fide præluceatis, aſpicientes in auctorem fidei, et conſummatorem Ieſum Chriſtum Dominum, cui gloria ſit, et laus ſempiternis ætatum ſæculis.

PETRVS Galeſinius, Synodi ſecretarius.

PROFESSIONE

VEteri ſacrorum conciliorum comprobata conſuetudine nos adducti, noſtrarum Synodalium conſtitutionum exordium ſumēdum cenſuimus a profeſsione catholicæ fidei, ſine qua nemo Deo placere, neque eidem ſeruire in hac vita poteſt. Credere enim oportet accedentem ad Deum, inquit Apoſtolus: qui vero non crediderit, condemnabitur, et iam iudicatus eſt, ex illius ſententia, qui vitæ auctor eſt, et iudex noſter Chriſtus Dominus. Heb. 11 Mar. 16 Ioa. 3

Præcipimus igitur, vt fidem catholicam, quam ſancta eccleſia Romana, veritatis magiſtra, profitetur et colit, quamq. ex formula a ſummo Pontifice Pio Quarto præſcripta, nos iurati, publice in hac noſtra diœceſana Synodo præſtitimus, ac profeſsi ſumus; eam ipſam omnes, et ſinguli tum clerici, tum laici homines firmiſsimo mentis aſſenſu amplectantur, apertaq. profeſsione præ ſe ferant, ac palam fateantur.

Tum

Tum præterea quæ, duce ſpiritu ſancto, ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi canonibus, et decretis definita, conſtitutaq. ſunt, ea omnia, ac ſingula recipiant, atque obſeruent.

Illam vero Pij Pontificis conſtitutionē de profeſsione fidei facienda, quam in hac ipſa Synodo recitari voluimus, in reliquis etiam, quæ deinceps habebuntur, promulgari, et publice legi iubemus, vt ad præſcriptam eius cōſtitutionis rationem, qui in Synodum conuenire debent, iurati fidei profeſsionem conficiant. Cuius formula, hæc eſt. Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia vtitur. videlicet. Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli, et terræ, viſibilium omnium et inuiſibilium; et in vnum dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum, et ex patre natum ante omnia ſæcula; Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines, et pro-

pter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est; et resurexit tertia die secundum scripturas; et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris; et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, et mortuos; cuius regni non erit finis: Et in spiritum sanctum Dominum, et viuificantem, qui ex Patre, filioq. procedit; qui cum Patre, et filio simul adoratur, et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas: Et vnam sanctam catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasq. eiusdem ecclesiæ obseruationes, et constitutiones firmissime admitto, et amplector.

Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et in-

terpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto; nec eam vnquam niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum, accipiam, et interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere,& proprie ſacramenta nouæ legis a Ieſu Chriſto, Domino noſtro, inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaq. gratiam conferre, et ex his Baptiſmum, Confirmationem, et Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque, et approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, et admitto.

Omnia, et ſingula, quæ de peccato originali, et de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, et propiciatorium ſacrificium,

cium,pro viuis, et defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse, vere, realiter,et substantialiter corpus,et sanguinem, vnà cum anima, et diuinitate Domini nostri,Iesu Christi,fieriq. conuersionem totius substantiæ panis in corpus; et totius substantiæ vini,in sanguinem, quam conuersionem catholica ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum,atque integrum Christum, verumq. sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, Animasq. ibi detentas fidelium suffragijs iuuari, similiter et sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos,atque inuocandos esse, eosq. orationes Deo pro nobis offerre,atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmisime asero imagines Christi,ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem,ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem,a Chri

ſto in Eccleſia relictã fuiſſe, illarumq. vſum chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe, affirmo.

Sanctam Catholicam, et Apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem, et magiſtram agnoſco: Romanoq. Pontifici, beati Petri, Apoſtolorum Principis, ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro.

Cetera item omnia a ſacris Canonibus, et œcumenicis concilijs, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio atque profiteor: ſimulq. contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas, et reiectas, et anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, et anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quã nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram, et inuiolatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſsime, Deo iuuante, retinere, et confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere

meo

meo ſpectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem .N. ſpondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, et hæc ſancta Dei Euangelia.

DE DILIGENTIA CONTRA HÆRETICOS ADHIBENDA.

QVoniam his temporibus, quibus multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum, et introduxerunt ſectas perditionis, ac tamquã magiſtri mendaces, viam veritatis blaſphemantes, ſegregauerunt ſemetipſos a corpore Chriſti, quod eſt eccleſia, multa gregi dominico impendent pericula; cum iſti ſerui ſatanæ facti, omnibusq. iniquitatibus pleni, nihil non agant, ac moliantur, vt ſeducant multos; ideo nos pro ea, quam ouibus, fidei noſtræ concreditis, debemus, ſancta ſollicitudine, parochis noſtris et vrbanis, et diœceſanis hoc maxime iubemus, vt eorum quiſque ſedulo, ſtudioſeq. inquirat, an in parochiæ ſuæ finibus vllus homo hæreticus ſit, an eo nomine ſuſpectus, an quouis modo

de

de doctrina catholica male ſentiens: quem vbi cognouerit, eius nomen Epiſcopo, aut Inquiſitori ſtatim deferat.

Ne vero quiſpiam fidelis in iudicio Chriſti Domini reus ſit de ſilentio, etiam ſi non contaminetur aſſenſu: ijdem parochi moneant ſæpe populum, ſibi commiſſum, debere omnes et ſingulos, ſi quem ſcierint quicquam dixiſſe, aut feciſſe, quamobrem huius criminis nomine probabiliter ſuſpectus eſſe poſsit, quamprimum deferre.

Vt autem hoc diligentius effici ab eis poſſit; contra cuiuſuis ſectæ hæreticos, tum contra eos etiam, qui vel aliquem talem eſſe, vel a fide catholica aliquo modo aberrare, vel verba, quæ hæreſis ſpeciem præ ſe ferant, protuliſſe, vel hæreticorum libros, aliaue ſcripta ſedis Apoſtolicæ auctoritate prohibita, apud ſe habere, tenere, aut legere ſcierint; eum non denunciarint, edictum Epiſcopus publice proponat. Quod edictum ipſi parochi, in ſua quiſque parochia, ſingulis annis, ſemel quadrageſimæ initio, iterũ ineunte Domini aduentu, promulgent; ac tum de

ſcripto pronuncient, cum in Miſſa adeſt fre-
quentior populus.

Hæc vigilantia omnium communis eſſe debet,
quoniam contra communes hoſtes pro com
muni ſalute ſuſcipitur. at eadem etiam non
minor ab ijs requiritur, quorum imperio ce
teri parent. itaque monemus, & in conſpe-
ctu Dei pure, ac ſincere deprecamur Princi-
pes, et magiſtratus huius vrbis, vt officij ſui
memores, et animo repetentes, quod ſibi ſa-
croſanctis canonum ſanctionibus, et saluta-
ribus ſummorum Pontificum conſtitutioni
bus iuſſum eſt, id curent, atque efficiant, vt
ditionis ſuæ hominibus hæreticorum com-
mercio, et conſuetudine interdicant; nec
vero permittant eos, mercaturæ, aut linguæ
percipiendæ cauſa, aut alio vllo quouis no-
mine ad illorũ vrbes, oppida, aliaq. eorum-
dem loca proficiſci; auxilium item contra
peſtiferos eius generis homines præſtẽt, idq.
demum omne exequantur, quod eo nomine
ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore rogati, præ-
ſtare, atque exequi debent; ne quos in hac
vita audiunt cohortantes, et deprecantes; eoſ-

dem,

dem, quod absit, in diuino iudicio sentiant accusantes; et ita pereant de via iusta, quoniam, etiam rogati, non eam gubernandi disciplinam apprehenderint, tenuerintue, quã Deus ab eis in primis deposcit.

DE BLASPHEMIA.

DEtestabili scelere se illi astringunt, qui sacrosanctum Dei nomen, ab omnibus creaturis benedicendum, & summis laudibus ex tollendum, aut etiam virginis matris Mariæ, Sanctorumq. nomen, cum Deo regnantium, impuro et contaminato ore blasphemare, atque execrari audent. quare nos per Dei gloriam, quæ nefario istorum scelere violatur, obsecramus Principes, & magistratus huius vrbis, vt quæ contra execrabiles id generis homines, Pontificum decretis, canonum sanctionibus, ciuili iure, tum demum a Leone Decimo, Lateranensi concilio, et nuper a sanctißimo Pontifice Pio Quinto decreta sunt, ea omnia diligentißime exequi studeant, expectantes a Deo optimo, maximo,

mo, vberrimum huius sanctæ curæ præmium.

Si vero clericalis ordinis homo quisquam, quod certe longe grauissimum est, in hoc genere aliquid deliquerit; ita plectatur, vt sacris canonibus, veteriq. huius ecclesiæ Synodali decreto sancitum est.

Quo studiosius item ad hoc blasphemiæ scelus tollendũ incumbatur; parochi, in sua quisque parochia, hominum, qui zelo religionis accensi sint, sodalitatem Dei nominis instituant, præscriptis eidem sodalitati regulis, vnà cum indulgentijs in Bulla expressis, quam fe: rec: Pius Quartus eius rei causa confecit.

DE MAGICIS ARTIBVS, ET DIVINATIONIBVS PROHIBITIS.

ANima, quæ declinauerit ad Magos, et Ariolos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, inquit Dominus. Leuit. 20
Quam valde igitur Episcopo elaborandum sit, vt id generis homines exterminentur, id

cum ex sacris litteris, tum multorum etiam conciliorum, Anquirensis, Laodiceni, Carthaginensis, Toletani, Aurelianẽsisq. decretis, Sanctorumq. Patrum sententijs intelligi licet. nos vero et his, et veteri huius ecclesiæ Synodali constitutione adducti, contra magos, et maleficos, ceterosq. omnes, qui quouis veneficij genere vtuntur, tum contra diuinatores, sortilegos, coniectores, ariolos, ceterosq. id generis homines, id statuimus, quod contra eosdem sacrorum canonũ sanctionibus decretum est; et acrius item eosdem puniri decernimus pro culpæ grauitate.

Ii præterea, qui Magos, atque eiusmodi diuinatores aliqua de re consuluerint, vel, vt consulerentur, cuique auctores, vel hortatores fuerint, graui pœna afficiantur.

Libri vero omnes, et scripta, quibus eiusmodi sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes magicæ artis cõtinentur, tum ij etiam, qui Geomantiæ, Hidromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, Astrologiæ item

iudiciariæ

iudiciariæ ſunt, reijciantur; niſi Aſtrologiæ libri eiuſmodi ſint, qui nauigationis, agricul turæ, medicæue artis adiuuandæ gratia conſcripti ſunt. Qui habuerit, tenuerit, legeritue, pænis grauiſsimis plectatur, vt et cano num iure, et indicis, quo libri vetiti ſunt, con ſtitutione ſancitum eſt.

DE DIERVM FESTORVM CVLTV.

QVi dies, ob redemptionis noſtræ myſteria celeberrimi, religioni conſecrantur, quiq. ſanctiſsimæ Virgini matri, tum vero Apoſtolis, ac Martyribus, ceteriſq. Sanctis dicati ſunt; cum ij ab ſacroſancta matre eccleſia inſtituti ſint, vt pie, et religioſe Dei beneficiorum memoriam populus fidelis coleret; et in Sanctorum victoria ipſius Dei bonitatem, potentiamq. laudaret, et Sãctis qui dem ipſis debitos tribueret honores, ſeq. denique ad eorum imitationem excitaret: deteſtabilis eſt horum temporum conditio, quibus fideles, feſtos hos dies, qui dies propiciationis ſunt, ſanctiſq. rerum officijs conſe-

crati,ad eas actiones traducunt,quæ christianæ pietati minus conueniunt. In tanta igitur populi christiani publica offensione, quoniam maxime verendum est, ne aliquando Deus iratus, ita proferat manum vltricem ex sinu suo,vt ne a peccatis quidem alienis parcat nobis,qui pastores animarum sumus; ideo pro ea,quam huius ecclesiæ, nobis commissæ,gerimus, cura, hoc decreto parochis nostris,reliquisue animarum curatoribus edicimus,vt diligentiam, quā ipsi maximam possunt,adhibeant,quo religiosius a fidelibus festi dies colantur.

Illud igitur crebris cohortationibus moneant,vt illi choreis, saltationibus, et ludicris spectaculis abstineant; propterea quod grauissime peccent,cum tempus,quod Deo, eiusq. cultui debent, ad eas actiones traducant,vnde omnis peccandi materia existit.

Doceant item,vt ne quid eorum,quæ alijs hebdomadæ diebus fieri, agiue oporteat, in diem festum reijciant; ne quicquam denique gerant,eo tempore alienum.

Quàm sæpissime vero populum ad eas

actiones erudiant, in quibus fidelis quisque diebus festis se exercere debeat: tum maxime, vt sincera, piaq. animi attentione sacrosanctæ Missæ sacrificio intersit, sacras audiat conciones; in ijs vero potissimum officijs se exerceat, quæ pietatem continent, pauperibus, et egenis pro facultatum modo eleemosynam tribuendo, ægros homines visitando, moerentes pie consolando.

Constitutionis autem, quam sanctissimus D. N. Pius Quintus edidit, auctoritate, tum edicto etiam nostro vetent, ne quid a parochiæ suæ incolis festo die ematur, aut vendatur, præter id quod necessario sit vsui, vel ad illius diei victũ, vel ad ægrorum curationẽ.

Ne intra parochiæ suæ fines officinæ omnino, aut vlla ex parte habeantur apertæ.

Hortamur vero, atque adeo vehementer id a Principibus, et Magistratibus huius vrbis petimus, vt cum in his omnibus, tum in eo etiam dies festos coli iubeant, vt, si nundinæ in ipsum festum diem inciderint, in aliũ vel antecedentem, vel sequentem diem transferantur. Maxime ipsi sperantes, se a Deo, qui

bonorum omnium operum remunerator est, vberrimam huius pij studij accepturos esse mercedem.

NEC vero culpa, eaq. grauissima, id carere potest, si homo christianus die natali Iesu Christi Domini, et reliquis ijs, qui tunc deinceps ordine sequũtur, festis diebus ludos, id quod sane quodam morum errore introductum est, et res alias item ludicras, et vanas consectetur. quare nos, qui in hac pastoralis curæ, atque muneris ratione nihil prætermittere debemus, vt neque certe volumus, quo minus omnes dies festi, tum ij maxime, qui Iesu Christo Domino dicati sunt, celebrentur, et in honore, quàm religiosissime fieri potest, habeantur; illud parochis, et reliquis animarum curatoribus, qui vel intra vrbem, vel in diœcesis nostræ finibus sunt, præcipimus, ac iubemus, vt dominico die, qui proxime diem natalem Domini antecesserit, quotannis populum, suæ curæ traditum, vel diligentissime quisque eorum moneat, atque hortetur, idq. auctoritate nostra, vt illius sanctissimi diei vigiliam, noctem, diem

ipſum natalem,et reliquos deinceps non ludis, non comeſſationibus, non compotationibus, non rerum, quæ ab ſacroſanċta illius diei celebritate alienæ ſint, vllo genere, ſed omni chriſtianæ fidei religione colant; in ijs ſe potiſsimum rebus exercentes, quarum cauſa illi dies feſti,ac ſolemnes inſtituti ſunt. tunc enim maxime peccata,et vitia declinantes, iuſtitiæ, charitatis, atque omnis chriſtianæ virtutis officia,actiones, et opera præſtent; frequentesq. præſertim in templa ad ſacras conciones,ad ſanctum Miſſæ ſacrificium,et alia diuina officia audienda conueniant. Hoc adhortationis munus cum ab illis ipſis parochis,et animarum curatoribus omni vel ſummo ſtudio præſtari velimus; tum nos etiam hoc Synodali decreto, quod deſcriptum in ſingulos annos cuiuſque parochiæ valuis, illo ipſo conſtituto Dominico die,ab eiſdem affigi, et promulgari iubemus; omnes et ſingulos ipſos laicos homines cuiuſuis ordinis,ac dignitatis, hortamur per viſcera Ieſu Chriſti,atque obſecramus,vt ereptis morum erroribus,et antiquata aleæ, ludorum

dorumq. consuetudine, quæ praua quidem, hominum vitio sacrosanctis illis diebus introducta est, cultum nato saluatori, si saluti suæ consulere volunt, eũ ijs diebus tribuant, quem maximum, maximeq. religiosum debent; et quo quisque ceteris præstat, eo sane maiori pietate in hoc excellere debet.

DE RELIQVIIS.

DEus, qua est in hominum genus benignitate, inter alias, quas infinitas nobis salutis nostræ occasiones dedit, eam quoque viam nobis a se munitam esse voluit, vt Sanctorum, qui cœlesti gloria vnà cum eo perfruuntur, Reliquiæ in terris relinquerentur. Quæ sacrosanctæ cum sint, tractari a quouis non debent, sed ab ijs potissimum, ad quos rerum sacrarum, diuinarumq. tractatio pertinet. Quare ne laici homines, ac ne sodales quidem cuiusuis confraternitatis, nec vero pij cuiusquam loci, in quo reliquiæ asseruantur, rectores, qui laici sint, eas vllo modo tractent. Sed si vel populi oculis exponendæ

sunt,

ſunt,vel alio aſportandæ; tum ſacerdotes in primis,aut ſi eorum nemo adeſt,alij clerici, ſacris ordinibus initiati, id officiũ præſtent.

Reliqua verò, quæ de Reliquijs Tridentina Synodus decreuit, inuiolate ſeruari iubemus. Seſ. 25 car. 2

DE SACRAMENTIS.

SAcramenta,quæ a clemẽtiſsimo Deo, a quo nihil niſi perfectiſsimum proficiſci poteſt,inſtituta,atque ad communem omnium ſalutem propoſita,cum diuina,et cœleſtia munera ſint, et diuinæ gratiæ inſtrumenta, omni intima pietate, et externo cultu, ac veneratione ſancte,religioſeq. tractanda, ac percipienda ſunt. quare cauẽdum eſt a parochis in eorum adminiſtratione, ne qua in re aliorum ſalutem adiuuare ſtudent, ex ea æternam perniciem,et mortem ſibi comparent, impure ea miniſtrantes. itaque cum illos omni fere temporis momento ad illa miniſtranda paratos eſſe oporteat, videant,quam pure,et ſancte vita ſibi inſtituenda ſit, quãq.

diligenter ſeruandus ab omni mortiferi peccati labe integer animus.

Vt præterea fidelium mentes ad cœleſtiũ rerum cogitationẽ erigantur, atque ita chriſtianæ perfectionis deſiderio exardeſcant; parochi itidem cum populum doceant, quã pie, et religioſe, illis vtendum ſit; tum crebris cohortationibus id maxime curent, vt fideles non ſolum paſchæ tempore confiteantur, et venerabile ſanctiſsimæ Euchariſtiæ ſacramentum percipiant; ſed frequenter etiã intra anni ſpatiũ, cum maiores Natalis diei Domini, Pentecoſtes, et aliorum ſolemniũ feſtorum dierum celebritates aguntur.

Studeant item ea ratione, ac ſentẽtia, quæ a Catechiſmo Romano præſcripta eſt, in adminiſtrandis ſacramentis illorum vim, et vſum diligenter explicare; vt fideles cum intelligant, illa tamquam remedia, ac medicamenta ad animarum ſanitatem vel recuperandam, vel tuendam præſto eſſe, ac per ea, in nos gratiam deriuari, quam nobis Chriſtus Dominus in ara Crucis meruit; fide, charitateq. excitati, et frequentius, et religio-

ſius illis vtantur.

Quos vero in parochiæ ſuæ finibus febri, morboue aliquo laborare intellexerint, eos ſtatim conueniant; hortenturq. vt pœniten tiæ ſacramento peccatis ſuis expiati, ſacram Euchariſtiam percipiant: et quo grauius affectos corporis morbo cognouerint; id eis maxime perſuadere ſtudeant, vt ad hæc ſalu taria animæ remedia frequẽtius confugiant.

Quoniam autem non ſolum ſine ſimoniæ labe, verum etiam ſine auaritiæ ſuſpicione, ſacramenta eccleſiæ miniſtranda ſunt, caueant etiam, ne in ijs adminiſtrandis quicquam, ne minimum quidem, pactione, neceſſariaue quadam conditione propoſita, exigant, et extorqueant: neue verbis item, aut ſignis aliquid, tanquam precium, vel mercedem vllo quouis modo petant, aut vexationem vllam inferant. Si quid autem ſponte eleemoſynæ nomine, aut pietatis ſtudio datur, id accipere liberum eis ſit, vt inſtitutæ re ligioſæ conſuetudinis ratio poſtulat, quam vt laici homines ſancte obſeruent, eos mone mus, atque hortamur in Domino. Ad cu-

ius quidem pie suſceptæ conſuetudinis obſeruationem poſſe a nobis, ſacrorum canonum iure compelli, hac Synodali conſtitutione declaramus. Qui in hoc deliquerit, is pœnis, canonum auctoritate præſcriptis, alijsue mulctetur arbitratu Epiſcopi.

In ſacramentorum præterea adminiſtratione, ſuperpelliceo, et ſtola ſemper induti ſint. Qui contra fecerit, pœnas dabit Epiſcopi iudicio.

DE BAPTISMO.

CVm baptiſmus ſacramentum ſit, quo cœli aditus, propter peccatum prius intercluſus, vnicuique, eum ſuſcipiēti, pateſiat; niſi enim
Io. 2 quis renatus fuerit ex aqua et ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei; id propterea ſacerdos baptizaturus primum ipſe ad tanti muneris functionem ſancte, et grauiter accedat.

Deinde quoniam in eo quiſque, pie, ac religioſe pollicetur, operibus ſatanæ renunciare, et mundum, eiuſq. pompas deſerere; id,

cum vſus venerit, populum doceat, quemadmodum ad baptiſmum infans deferēdus ſit, quam religioſa ſcilicet in Deum pietate, quam humili ſpiritu, quam denique ſimplici amictu, non ſericis veſtibus, neque auro contextis, nec vero ornatu vllo, qui mundi huius pompam præ ſe ferat: cum minime conſentaneum ſit, in ipſo vitæ chriſtianæ ingreſſu ſtatim ijs rebus ſtuderi, quibus potiſsimum ſolemni ſponſione abrenunciatur.

Vt autem huic tanto myſterio debitus religionis cultus tribuatur; id maxime parochos noſtros monemus, vt, niſi aliqua neceſſitas vrgeat, aut infantis baptizandi mortis periculum inſtet, mane non a prandio hoc ſacramentum miniſtrent. Idq. etiam ipſi parochiæ ſuæ incolis faciendum ſuadebūt, quo maiori pietate, et religione, ac ſobrie item tam magnum myſterium peragatur.

Quo præterea maiori, vt decet, dignitate, ac maieſtate res tanti myſterij agatur; id noſtris parochis iubemus, vt fons, quo ſalutaris huius ſacramenti aqua aſſeruatur, e marmore, vbi fieri poteſt, ſin minus, e lapide conſtru

ctus

ctus ſit.

Loco item non obſcuro,ſed conſpicuo,atque adeo alte ſit extructus, vt ne cuipiam occaſio detur in eo ſedendi.

Qui item fons,decenti operimento contectus,claue obſeretur,vt aqua illa benedicta, ſanctis precibus, et cærimonijs, ac ſolemni ritu conſecrata,ita in eo ſeruetur,vt et a ſordibus pura ſit, et a nemine ad ſuperſtitiones aſportari poſsit.

Baptiſmalis aqua eo fonte aſſeruata,ſingulis annis,in paſchæ reſurrectionis Domini celebritate renouetur,idq. ſolemni ritu, et ſtatis cærimonijs fiat.

Intus præterea in eodem fonte vaſculum ſit,quod purum, ac nitidum ad aquã infundendã adhibeatur, huiusq. rei ſolũ vſui ſit.

CHRISMA item ad ſolemnẽ Baptiſmi vſum, vaſculo argenteo,vel ſtamneo in parochialibus eccleſsijs, vbi eſt fons baptiſmalis,aſſeruetur diligẽter. Quo chriſmate quotannis renouato,vetus comburatur. Caueant propterea parochi ne baptizatum alio Chriſmate vngant, quàm illo, quod eo ipſo anno ab

Epiſcopo

Epiſcopo conſecratum erit.

QVI ſacerdos Baptiſmi ſacramentum admi-
niſtraturus eſt, vt id magna cum religione, et ſanctitate præſtet, ſingula, quæ ad Catechiſmi, et exorciſmi rationem pertinent, omni animi attentione, clara voce, ac diſtincte pro nunciet; ſacras, et religioſas precationes, ſancte, grauiterq. proferat, tum ſolemnes alios ritus, ab Romana eccleſia inſtitutos, ita decenter obſeruet, vt veluti ante oculos ponere videatur præclara et eximia illa dona, quæ in eo ſacramento continentur.

BAPTISMVS præterea in eccleſia ipſa, non intra domeſticos parietes miniſtretur; niſi neceſsitas cogit.

Quæ neceſsitas ſi incidat; hoc ſeruetur, vt, ſi adſit ſacerdos, ab eo baptiſmus miniſtretur; Si vero abſit, ab altero, qui clericus ſit; quo item abſente, a laico, mari item in primis, tum demum a fœmina. Hi vero recte ſciant baptiſmi formam, ijs ſcilicet verbis conceptā; EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Cui formulæ nihil nec

adden-

addendum,nec vero detrahendũ, sæpiſsime populum ſibi cõmiſſum,parochus doceat.

Sciat item parochus,tum moneat, ab eo, qui baptizat,non ante,aut poſt ablutionem, ea verba ſacramenti, quæ formã continent, ſed eodem ipſo tempore,quo ablutio peragitur, pronuncianda eſſe: Tum etiam non quamlibet corporis partem in lucẽ iam editi partus, ſed potiſsimum caput, in quo omnes tum interiores, tũ externi ſenſus vigent, abluendum.

Ne parochus infantem baptizet, illa addita conditione, SI TV ES BAPTIZATVS, EGO TE NON BAPTIZO et cet.; niſi cum incertum,ac dubium erit, an baptizatus ſit. Inquirat propterea,num forte domi inſtante mortis periculo, prius baptizatus fuerit, ſeruata integra ſacramenti ſubſtãtia; quam ſi recte adhibitam eſſe cognouerit; ne illum baptizet, ſed exorciſmum tantum, et catechiſmum,preces, ritus, et cœrimonias ei adhibeat,quæ prætermiſſæ ſunt.

Natum autem infantem ij, ad quos ea cura attinet,intra octauum diem in Eccleſiam deferri

deferri curent ad Baptiſmum ſuſcipiẽdum.
CAVEAT item baptizans ſacerdos,ne cũ baptiſmum miniſtrat,baptiſmalis aqua, vel ſacrum oleum a laico quopiam homine vllo modo tangatur; neue linteola; quibus baptizati infantis caput abſtergitur, alicui, quẽ ipſius infantis parẽtes ſibi compatrem, commatremq.fieri cupiunt,tangenda, aut lauanda tradantur; vel aliquid eiuſmodi fiat, vt inde, quemadmodum ipſi putant, ſpiritualis cognatio contrahatur. Quæ linteola ne in vllum alium prophanum vſum conuertantur; ea, cum lota fuerint, apud ſe diligenter aſſeruent.

DE compatribus ſeruetur, quod Tridentino concilio ſtatutum eſt,vt ne plures baptizatũ de ſacro fonte ſuſcipiant,ſed vt vnus tãtum, ſiue vir,ſiue mulier,vel ad ſummum vnus, et vna. Seſ. 24 c. 2

Nec vero compatres adhibeantur,ſiue mares,ſiue fœminæ,qui excõmunicationis vinculo irretiti ſunt; nec qui manifeſte vſuram exercent;neque qui in concubinatu viuunt; nec item qui eo anno,paſchæ tempore, ex ec

clesiæ præcepto, peccata confeſsi non ſunt, ſacramq. Euchariſtiã non ſumpſerunt; nec vero qui rudes, fidei ſymbolum non norunt; neque autem monachi, alij ue cuiuſuis ordinis homines religioſi. Id autẽ omne inuiolate ita ſeruetur, niſi infanti mortis periculũ inſtaret, neque alius quiſquam eſſet, qui idoneus hoc ſuſcipiendi munus obiret.

Et quoniam compatres adhibẽtur, vt, qui ex baptiſmi fonte vitam ſpiritualem viuere incipiunt, ad omnem pietatis rationem inſtituantur; ideo parochus compatres moneat, vt pie, et religioſe, quid agatur, attendant, illud ſemper cogitantes, ſe pro ſuo ſuſceptionis officio, hac potiſſimũ lege obſtrictos eſſe, vt ſpirituales filios perpetuo commendatos habeant, eosq. vitæ chriſtianæ diſciplina inſtruant; ac iuxta D. Auguſtini ſententiam admoneant, vt caſtitatem cuſtodiant, iuſtitiam diligant, charitatem teneant, et ante omnia Symbolum, et orationem Dominicam, et ſalutationẽ Angelicam eos doceant: Decalogum etiam, et quæ ſint prima chriſtianæ religionis rudimenta. Hasq. partes

pia compatrum diligentia, et cura tum maxime suscipiat, necesse est, si carnalium parentum opera, ac studium defuerit.

CVRET parochus, vt infantibus, proprio nomine in baptismo appellandis, ea nomina non imponantur, quæ turpia, aut ridicula sunt, quæue gentilium, atque adeo impiorũ, et impurorum hominum memoriam referant; sed illorum, qui ob veræ pietatis, ac sanctæ religionis, virtutisq. christianæ laudem, sanctorum numero censentur: vt in ipso vitæ ingressu cum ethnicis ne nomen quidem commune fideles habere videantur; tum vt ipsi infantes, cum ætate processerint, nominum similitudine, ad eorum, a quibus illa accepta sunt, imitationem excitentur.

Si vero nomen eiusmodi est, cuius grauis sit, et pia aliqua interpretatio, illud improbãdum non est, præsertim sancti cuiusquam etiam nomini adiunctum.

BAPTIZATI autem infantis parentes, nutricesue id baptizans sacerdos moneat, pœna excommunicationis proposita, vt ne, propter periculum oppresionis, eum secũ in le-

cto cubantem teneant, nisi octo et decẽ mensium spatio confecto, vt veteri huius ecclesiæ synodali constitutione præscriptum est.

Habeat item vnusquisque parochus, id quod alias synodali ecclesiæ huius decreto iussum est, librum, in quo baptizati nomẽ, tum parentum, compatrum, dies et natiuitatis, et baptismi descriptus sit, et annus itẽ; idq. non numeri notis, sed expreſsis plane literis, vt nulla fraus fiat. Hunc autem librũ diligenter asseruari iubemus.

PERACTO Baptismo, parochus baptizati parentes, atque adeo etiam compatres moneat quàm præstantia, et diuina bona, ac munera huius sacramẽti virtutẽ in ipsum infantem collata sint; nempe quod ex diaboli filio trãsijt in adoptionem filiorum Dei; quodq. innocẽs, iustus, sanctus factus sit, et cœlesti gloria dignus in Christo Domino, ex cuius plenitudine in omnes, qui iustificantur, diuina virtus, et gratia diffunditur. Quibus in rebus explicandis eo maiorẽ ipse parochus diligentiam adhibebit, quo planius illi intelligant, non in conuiuijs, aut comessationibus,

et cõpotationibus, sed spirituali potius gaudio illum Baptismi diem celebrandum esse. HORTAMVR denique parochos, vt, cum tale officij genus aggrediuntur, id pie, et grauiter, prudenterq. faciant: qua in re efficienda catechismi Romani locos, apte ad omnẽ sententiam suis locis accommodatos, adhibeant; tum etiam tradant concilij Tridentini saluberrimam de singulis sacramentis doctrinam, quam ab eis sæpe, ac studiose legi volumus.

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

QVI per Baptismum christiani facti sunt, quoniam ij, sicut geniti modo infantes, adhuc imbecilles, in spirituali certamine viriliter pugnare non queunt; Chrismatis sacramento, quo spiritus sanctus in corda fidelium se infundit, roborati, aduersus omnes carnis, mũdi, et diaboli impetus, robustiores fiunt; eorumq. animi in fide omnino cõfirmantur ad confitendum, et glorificandũ nomen Domini Iesu Christi. Quare parochi,

cum

cum ſæpe ſuis concionibus doceant,quanto religionis ſtudio a fidelibus ſuſcipiēdum ſit hoc tantum ſacramentum, cuius conficiēdi ſolus Epiſcopus ordinariam poteſtatem habet; tum etiam maxime videant,ne quis eorum,qui ſibi in curam traditi ſunt, illud ſuſcipere negligat.

CVRENT igitur diligenter, et quàm ſæpiſsime id moneant, vt quicũque intra parochiæ ſuæ fines habitant, neque confirmati adhuc ſunt,illud omnes ſuſcipiãt,qui ſunt maiores natu ſeptē annis: nam ea ætate minoribus, quoniam rationis vſum nullum habent,hoc ſacramentum miniſtrandum non eſt.

VT autem omnes,qui hoc ſacramento inſigniti non ſunt,ad certum illius miniſtrãdi tempus conuenire commode poſsint, id populũ præmoneant,ſimulq. item hortentur,vt,qui adulta ætate confirmandi ſunt,ſi huius ſacramenti gratiam,et dona conſequi cupiũt, ſua peccata confiteantur,vel ſummo ſaltem, maximoq. animi dolore ex peccatis,quæ admiſerint,affecti, eaq. deteſtantes, firmiſsimum confitendi propoſitum habeãt; tum etiam,

quando id facere poſsint, veterem illam Eccleſiæ conſuetudinem teneãt, vt non, niſi ieiuni, id ſuſcipiant.

DE compatribus, qui ad hoc ſacramentũ adhibendi ſunt, id ſtatuimus, quod ſupra in Baptiſmo ſanciuimus. illud præterea, vt qui cõfirmatus non eſt, ne is in hoc confirmationis ſacramento compater adhibeatur. Nec vero fœminis commatribus viri, neque contra fœminæ viris compatribus in hoc ſuſcipiendo ſacramento vtantur. Reliqua item, quæ ad hoc ſacramentum recte, ſancteq. ſuſcipiendum, vel miniſtrandum pertinentia, edicto noſtro expreſſa ſunt, ſeruentur diligenter.

QVOD autem Tridentina ſynodo decretum eſt de cognatione ſpirituali, quæ hoc ſacramento contrahitur, id populũ, cum vſus venerit, parochi doceant. Seſſ. 24 c. 2. de matr.

NE vero hoc ſacramentum, cuius ea vis eſt, vt characterem imprimat, iterari vnquã, quod nefas eſt, vllo modo poſsit; parochi ſi qua ratione commode fieri poteſt, deſcribant confirmatos, et cõpatres; ſeruatis omnibus, quæ de libro baptizatorum præſcripſimus: ſi vero

ro id

ro id minus fieri poteſt,paruulorum ſaltem, qui confirmati ſunt,parentes id admoneant, vt eos, iam adultos,ea de re certiores faciant; ne parentibus poſtea mortuis dubitari aliquando contingat, an illi hoc ſacramentum ſuſceperint.

Quo autem maiori religionis ſtudio hoc ſacramentum tractetur; priuſquam ab Epiſcopo diſcedant, qui confirmati ſunt, eorum frontes panno lineo, vel bōbice omnino abſtergantur.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

NIHIL habet eccleſia hoc ſacramento dignius,nihil admirabilius, nihil ſalubrius. continetur enim in eo præcipuum, et maximum Dei donum, et ipſe omnis gratiæ fons, et auctor Chriſtus Dominus. quare vt præſtantiſsimum hoc ſacramentum omni ſumma reuerentia,et debito cultu tractetur,hæc ſancire voluimus.

SACROSANCTA Euchariſtia in cathedrali, collegiatis, parochialibus, et alijs quibuſuis

ecclesijs; vbi illa cuſtodiri ſolet, vel debet, quàm decentiſsime fieri poteſt, collocetur.

Tabernaculum,quo aſſeruatur,ornatum, et bene ſeptum,ac munitum ſit.

Ante eam lampas, cuius lumē oleo oliuæ, neque vllo præterea alio, nutriatur, accenſa ſemper colluceat.

VT autem,quo maximo poteſt, ac debet, religionis ſtudio, ad ægros deferatur; parochi populum ſæpiſsime cohortentur, vt frequēs ſemper proſequatur. Eamq. ob cauſam in ſua quiſque parochia,vbi commode fieri poteſt,ſodalitatem corporis Chriſti inſtituant.

Quo autem ardētiori pietate fideles ad religioſe agendum excitentur; nos indulgentiam quatraginta dierum concedimus tum ijs ſingulis,qui ſanctiſsimum illud ſacramentum proſequuntur, cum vel in proceſsione, vel ad ægros defertur; tum illis etiam ſingulis,qui in eam ſodalitatem adſcribuntur.

Quibus vero in eccleſijs ea ſodalitas inſtituta eſt, aut inſtituetur; certis campanæ ictibus ſodales,et alij fideles præmoneantur; qui pſalmos, et hymnos,aut alias preces pie reci-

tantes, venerabile ſacramentum comitentur omni animi pietate, ac religione.

Cum defertur; ſacerdos ſuperpelliceo indutus ſit, ſtola collo impoſita, ac, ſi per facultates eccleſiæ liceat, pluuiali etiam ornatus, idq. maxime, cum interdiu defertur.

Deferatur autem vaſculo decoro, quod vel tenui linteo, vel ſerico velo decenter contectum ſit: Si vero noctu, et locis aſperis, montuoſisq. via præcipiti, ac lubrica defertur, ſacrum illud vaſculũ, quo defertur, clauſum, in ſacculum decentem, qui a collo pendeat, includatur, ita vt ſi forte ſacerdos labatur, ſacramentum in terram decidere nullo modo poſsit.

Vmbella præterea, vbi poteſt, adhibeatur: tum præeat clericus, aquæ benedictæ vaſculum deferens, et tintinnabulum item pulſet, cuius ſonitu populus ad religionis cultum, ſacroſanctæ Euchariſtiæ tribuẽdũ, excitetur.

Luminibus item accenſis deferatur, tum duabus etiã facibus vna, atque altera lanterna ita incluſis, quæ ventorum vi extingui nõ poſsint; idq. maxime per hyemẽ ſeruetur.

In

In ædibus, vbi æger eſt, menſa inſtar altaris parata ſit, in qua, accenſis duabus candelis, vaſculum ſacramenti ponatur.

Si vero æger in vrbe, vel in frequēti aliquo oppido eſt, tum duæ ſacræ Euchariſtiæ particulæ deferantur; ne ſacerdote ad eccleſiam redeunte, inane vaſculum populus adoret.

Eo autem deferendi ſacramenti munere perfunctus ſacerdos, poſtquam ad eccleſiam redierit, paucis verbis pie hortetur fideles, qui adſunt, vt in eo religioſo inſtituto perſiſtant, proq. ægri ſalute precentur; Denuncietq. item eis, quam ex illo pietatis officio conſequuti ſunt, indulgentiam; Tum pie prenunciata oratione, quæ eſt de ſanctiſſimo ſacramēto, benedicēs, illos dimittat in pace.

VAM admirabiles autem fructus ſint huius altiſſimi ſacramenti, quanta eius item vis, ac dignitas, id ſæpe a parochis explanandū eſt, vt fideles cognoſcant, qua præparatione, et quanta animi religione, ac pietate, quàm ſupplici mente, et humili etiam corporis habitu ad illud ſumendum accedere debeant: quantaq. illis ſupplicia parata ſint, qui indigne

gne illud ſuſcipiunt.

Publici igitur concubinarij, fœneratores, et alij eiusmodi facinoroſi homines, ſi ſemel ad pænitentiam, et communionem admiſſi, poſtea in eisdem peccatorum ſordibus verſabuntur, ab huius ſacramēti perceptione reijciantur; quoad parochus, qui illorum curam gerit, eos vitam, et mores re ipſa emendaſſe perſpexerit.

Adoleſcentes autem, qui tum primum euchariſtiā ſumere voluerint, aliquot ante diebus, de huius ſacramenti vi, ac præſtantia a parocho inſtruantur; cuius etiam iudicium ſit, an illi tales ſint, qui diſcernant menſam a menſa, hanc ſacram ab alijs prophanis, cæleſtem hunc panem viuum a cōmuni. Cum vero primū illi id optime noſſe videbuntur; ne eos hortari deſinat, immo vero iubeat, vt diutius cœleſti, et diuina illa gratia carere nolint, quæ præſens ad alendam, et conſeruandam animam hoc ſacramento tribuitur.

CVM præterea hoc venerabile ſacramentum a Chriſto Domino ad augendā in nobis gratiam, et diuini amoris ſpiritum fouendum,

aliaq.

aliaq. cæleſtia munera nobis impertiēda, inſtitutum ſit; ſæpe a parochis monendi ſunt fideles, vt frequenter intra anni ſpatium, præſertim vero in maioribus ſolemnium dierũ celebritatibus hoc ſe admirabili cibo paſcāt, in quo vitalis vis alendæ animæ continetur.

Paſchæ autem reſurrectionis Domini tempore, vt eſt ſanctæ Eccleſiæ præceptũ, nemo omittat hoc ſacramētum percipere; idq. in ſua quiſque parochiali eccleſia.

Vt vero id a fidelibus præſtetur; ſingulis diebus parochi cum in Paſcha ſacramētum Euchariſtiæ miniſtrabunt, antequam illud cuiquam præbeant, ad populum cōuerſi, denuncient, vt ſi quis eorum, qui adſunt, parochiæ ſuæ incola non eſt, ad ſuam quiſque parochialem eccleſiam abeat, vbi, vt canonũ ſanctionibus iuſſum eſt, eo tempore ſacram Euchariſtiam ſumat.

PAROCHI, reliquiue animarum curatores, poſt octauam Paſchæ, fideliter ad Epiſcopũ, aut eius Vicarium nomina illorum deferāt, qui ſalutis ſuæ immemores, neque ſaluberrimo matris eccleſiæ præcepto obtemperantes,

tes,in Paſchæ celebritate ſacram Euchariſtiã non ſumpſerint; vt de illis ex ſacrorum canonum præſcripto ſtatui poſsit, quod magis eorum ſaluti profuturum ſit.

FIDELIBVS, poſtquam Euchariſtiam ſumpſerint,ne vinum calice conſecrato,vel alio vaſe, quod ad calicis formam confectum ſit, præbeatur; vt minime putẽt,ſe ſanguinem, aut ſacrum quicquam ſumere: ſed vaſa alia duo,ex vitro,aut cryſtallo confecta, ad communicantium vſum adhibeãtur,in quorum vno vinũ ſit,in altero aqua, vt cuiuſque ſenſui magis ſatisfiat.

NE clericus,poſtquam fideles Euchariſtiam ſuſceperint,vaſculum vllum proponat,vel proferat,quo eleemoſynas accipiat.

NE ſacra Euchariſtia miniſtretur,niſi prius linteo ante fideles explicato, atque extenſo; ne forte,præſertim in frequenti populi multitudine,tale quicquam eueniat, quod quidem ob tanti ſacramenti maieſtatem ſit a ſacrilegij crimine non longe diſsimile.

FOEMINIS autem miniſtretur loco à viris ſeparato; ſi eccleſiæ eiuſmodi ſunt,vbi pro earum

rum amplitudine id commode fieri queat. ſin autem id minus poteſt; ſubſellia ita conſtituantur, vt ab vna eorum parte viris, ab altera fœminis, ordine diſpoſitis, miniſtretur.

FIDELES, vbi ſacram Euchariſtiam ſumpſerint, aqua benedicta aſperſi, maximum hoc immenſæ charitatis myſterium animo contemplantes, Deo gratias agant pie, ac ſancte.

DE MISSARVM CELEBRATIONE.

CVM ſanctiſsimum Miſſæ ſacrificium, quo viuifica illa, et Deo placẽs hoſtia, Ieſus Chriſtus in odorem ſuauitatis offertur, inter cetera chriſtiani cultus officia maximam habeat venerationem; vt et a ſacerdotibus celebretur, et a populo colatur ſingulari pietate, ac religione; nos Tridentini concilij decretum exequentes, hæc de Miſſarum celebratione ſtatuimus.

SACERDOTES, quo puriores ad Miſſæ ſacrum faciendum accedant, antequàm ad altare veniant, ſe colligant, precantesq. mentem in tanti myſterij contẽplatione defigãt.

Excutiant

Excutiant prætcrea omnes conſciẽtiæ ſuæ latebras; ſiq. mortalis peccati ſibi conſcij erunt,id confiteantur.

VT autem conſcientia ſint,ab omnibus peccati ſordibus pura; octauo quoque die peccata ſua confiteantur; atque adeo toties, quoties ſe aliqua mortiferi peccati labe inquinatos ſenſerint: Nec vero ſine confeſsione contritionem ſibi ſatis eſſe putent, cum maxime adeſt ſacerdos,cui confiteri poſsint; niſiq. neceſsitas item vrgẽs eſt,quæ eorum miniſterium differri non patiatur.

Ne ante celebrent, quàm matutinum, et Primæ horæ diuinum officiũ perſoluerint.

Antequàm item ſe veſtibus ſacris induãt, manus lauent; itidemq. faciant,Miſſæ ſacrificio peracto.

Sacris veſtibus induti,ne cum quopiam loquantur; nec vero loquẽtem alium audiant: ſed taciti diligẽtius animis ſuis contemplentur,quæ ſit ſanctiſſimi illius ſacrificij vis,quãtaq. altitudo: qua in contemplatione ſe ad illud ſancte, religioſeq. peragẽdum toto animo parent.

Neque

Neque e ſacriſtia egrediantur, niſi eo ipſo tempore, cum ad Miſſæ ſacrum faciendum prodeunt. quo tempore inceſſu procedant compoſito, et moderato.

ADHIBEANT præterea, vbi fieri poteſt, in illo munere clericum, qui ſuperpelliceo, et talari veſte indutus, præeundo Miſſale deferat. Qui item paratas habeat candelas, funale, vini, et aquæ vaſcula; ne, ſacrificio Miſſæ inchoato; ſibi neceſſe ſit, ſacerdote relicto, ad illa conquirenda huc, atque illuc per eccleſiam curſitare.

Ne igitur Miſſam celebrare incipiant, niſi accenſis ante candelis, locoq. ſuo collocatis, tum ceteris, quæ ad Miſſæ cultũ parata ſunt, ordine diſpoſitis.

Neque dum in altari ſunt, in ijs quæritandis occupẽtur, quæ in Miſſæ ſacro legi ſolẽt; ſed antequàm eò accedant, omnia, ad Miſſæ ſacrificium pertinentia, perlegant; et ſingulas partes ita parent, ac notẽt, vt ipſi, dum in celebrationis munere ſunt, neque errent, nec vero vllo modo hæreant.

Birretum, aut ſubirretum, chyrotecas, ſu-

dariolum, aliaq. huius generis, qualiaqualia ſint, ne in altari ponant.

HOSTIA, quæ ad ſacrificium præparabitur, integra, ac ſolida ſit, ſiq. non omnino recens, non vetuſta tamen nimis.

Vinum ſingulis diebus, quod recens e dolio hauſtum ſit, paretur in ampullis ad Miſſæ ſacrificium. idq. ſi fieri poteſt, non rubrũ ſit, nigrumue, ſed album, ne ſordidis illius vini maculis corporalia, et purificatoria inquinentur.

Ne vllus ſacerdos ad Miſſæ ſacrum corporalibus, et purificatorijs immundis, ſordeue vlla inquinatis vtatur. Ea igitur cura ſacerdotis, vel clerici ſit, ſacris ordinibus initiati, ea abluere diligenter, ne ſordida vnquã appareant. Aqua vero ad illius rei vſum adhibita, in ſacrarium abijciatur.

Calices itidem, quo puriores ſint a ſordibus, peracto Miſſæ ſacro, ſingulis diebus diligentiſsime abſtergantur: tum ſingulis mẽſibus, aut ſecundo ſaltem quoque menſe abluantur, ſapone, et lixiuio adhibito; idq. a ſacerdote, diacono, vel ſubdiacono fiat.

QVAE

QVAE in Missæ sacro ita pronuncianda sunt, vt ab ijs, qui præsentes adsunt, audiantur; in ijs proferendis non adhibeant sacerdotes nimiam, neque celeritatem, neque tarditatem. Omnia distincte, clara item, aperta q. voce pronuncient.

Sacrum canonem non memoriter proferant, sed attente legant; ne quis forte error admittatur, qui cũ in omni Missæ parte grauis, tũ in canone grauior; in consecrationis autem verbis grauissimus longe est.

Ante Missæ vero finem ne corporale sacerdotes complicent; neue ad eiusmodi quicquam agendum manus admoueant.

Ne altaris mappam adhibeãt; qua manus abstergant; sed mantile habeant, huius rei causa paratum.

POSTREMO in sacristiam reuersi, iterum se colligant, omnipotentiq. Deo pro sacrificij rite peracti beneficio agãt omni intima pietate gratias.

IN Missarum sacris, quæ solemniter fiunt, quatuor, atque adeo plures candelæ accensæ adhibeantur, prout festi, solemnisq. diei ratio

postulat. In reliquis autem Missis, quæ nō ritu solemni,neque canendo, sed legendo dicuntur,ab initio vsque ad finem accēsæ duæ eluceant.

Certus ille,qui superstitioso potius cultu, quàm vera religione introductus est,candelarum numerus,in Missæ sacrificio ne adhibeatur,sed ratione a nobis præscripta.

Missæ sacrum fiat non noua quadam cærimoniarū curiositate; sed statis cærimonijs, veteriq. ritu,sanctæ Romanæ Ecclesiæ vsu, et consuetudine præscripto,et comprobato. qui ritus,Missalis initio adscriptus, Ordinarius vocatur. Omnino autē ex regulis,et rubricis nouo Missali, iussu S. D. N. Pij Papæ V. nuper edito præscriptis.

NE inter Missæ sacrum,quod pro mortuis fieri solet, litaniarum preces adhibeantur, sed eo peracto. Nec vero in ijs item Missarum sacrificijs,quæ pro mortuis peragi solēt,musicus cantus vsui sit,qui hilaritatem præ se ferat, sed qui maxime illius officij rationi conueniat.

QVIBVS in ecclesijs collegiatis ea est consue-

tudo,

tudo, vt Miſſa ſolemnis in ſingulos dies cana tur; in ijs ne liceat dominicis, et feſtis diebus, qui duplices, aut ſemiduplices dicuntur, neque item in octauis, vel in ſabbatis, vel in vigilijs, quibus Miſſa, ei diei proprie conueniens, celebrari ſolet, nec vero per totam quatrageſimã, omiſſo Miſſæ ſacro, illis feſtis diebus accommodato, Miſſam, quæ de defunctis dicitur, cani. verũ vt et debito eccleſiæ cultui, et diuinis officijs, quæ mortuorũ animabus præſtari debent, ſatisfiat; vel vna, et item altera, quæ ſcilicet feriæ, aut feſti diei, qui ĩciderit, cultui, et anniuerſarijs exequijs conueniat, Miſſa dicatur; vel quæ de defunctis in anniuerſario funere dicitur, in aliud anni tempus, ad eam rem accommodatius, differatur.

Tubarum, tibiarumue ſoni, aliaq. muſica inſtrumenta, quæ in ſaltationibus, choreis, alijsq. prophanarum rerum actionibus, aut ſpectaculis, adhiberi ſolent, ab eccleſia cum in omni Miſſæ parte excludantur, tum maxime, cum Ieſu Chriſti Domini corpus ſuſtollitur.

CVM in Missæ sacro corpus Domini sustollitur; distincto campanæ sono signum detur, quo admoniti fideles, qui adsunt, genibus flexis, se ad cultum, Christo Domino sancte tribuendum, componant; tum vero qui absunt, ad tanti mysterij recordationẽ excitati, etiã stantes, se ad breuissimum illud temporis momentum colligant, menteq. supplici ad Deum conuersi, gratias ei agant. Quibus omnibus, hoc religiose agentibus, quatraginta dierum indulgentiam cõcedimus.

Sess. 22 de obs: in cel. Miss.

NE vllus sacerdos, id quod Tridẽtina sanctione decretum est, priuatis in ædibus, nec vero in Oratorijs, quæ diuino tantum cultui dicata, non Episcopi tamen auctoritate comprobata sunt, Missæ sacrum faciat. Neque itẽ ante auroram, nec post meridiem; nec prætereà clausis ianuis. Nocte autem diei Natalis Domini prima Missa media nocte, altera in aurora, tertia lucescente iam die celebretur.

Sess. 22 de obs: & eu: in cel. Mis.

Sacerdos, qui publice, et notorie criminosus est, vt Tridentina Synodo sancitum est, à Missæ celebratione arceatur, nisi vitæ, morumq.

rumq. emendatione, sceleris, cuius labe inquinatus est, maculam eluerit.

Sacerdoti alienæ diœcesis ne permittatur Missæ sacrum facere, nisi litteras ostenderit testimoniales, seu dimissorias Ordinarij sui certas, ac legitimas. Quas litteras si exhibuerit; hoc etiam inquiratur, an is cærimoniarum, et earum in primis rerum, quæ ad sacri faciendi munus pertinent, cognitione instructus sit; idq. a peritis sacerdotibus fiat, quibus vel in nostra cathedrali ecclesia, vel alio loco id curæ a nobis, Vicario ue nostro delegatum est.

MISSAE sacrũ ne in Altari fiat, quod e ligno, sed quod e lapidibus confectum sit, idemq. consecratũ; vel altare portatile habeat, quod consecratum itidem sit. Illud autem valde cauendum est, ne consecratus lapis, aut confractus sit, aut aliquo modo auulsus.

Ne item celebretur in Altari, quod sub dio est, quamuis ecclesiæ parietibus continens, et adiunctum sit.

NIHIL, quod indecorum sit, quodq. sordidæ auaritiæ speciem præ se ferat, a sacerdote celebrante

lebrante agi, vel geri debet. cum igitur in vrbe, dioecesiq. nostra id fieri soleat, vt, quo die festo in aliqua ecclesia sancti cuiusquam memoria colitur, sacerdos, in quocunque illius ecclesiæ Altari Missæ sacrum faciens, ab ipso Altari discedat, et porrecta ad populi osculum patena, a singulis, qui intersunt, eleemosynam accipiat; huic rei, quæ sane indecenter ab ipso sacerdote geritur, consulere cupientes, id sancimus, vt sacerdos dum Missæ sacrum facit, ne ab altari discedat, eleemosynam a populo quæsiturus: sed si quis illã offerre voluerit, ad populum cõuersus, cum offertorium Missæ acturus est, ei non patenam, sed crucem, manipulo intextã, vel aliã huius rei vsui accommodatam, osculandam præbeat; cuius piæ actionis officio fideles inuitati, eleemosynam conijciant in aliquod vas decens; quod clericus, qui ei minister astat, in manibus habeat. Nec vero id semper, et omni loco ab eo fiat, sed in Missa solũ, quæ solemni ritu canitur, et in maiori tantũ Altari, vel in eo, quod illius sancti, cuius dies festus celebratur, memoriæ, et cultui conse-

cratum

cratum est.

Facta autem a viris oblatione, quoniam illud indecore fit, vt mulieres ad altare accedãt; tum sacerdoti celebranti, vel alteri eius nomine permissũ sit, eò venire, vbi illæ sunt. In cuius loci primo aditu stans sacerdos, ab eis eleemosynam accipiat; nec vero illã circumeundo quæritet.

DIE autẽ Natali Christi Domini, quo die non in solemni solum Missa, verumetiam in reliquis veteri instituto oblationes fieri solent, eam piæ liberalitatis consuetudinẽ non modo non abrogamus, sed perpetuo retineri iubemus, seruata ea, quæ modo a nobis præscripta est, decori, et modestiæ ratione.

Et quoniã in Missæ sacris, quæ summo mane fiunt, cum ad eã frequẽtior hominũ multitudo cõuenire soleat, quàm ad illa, quæ tardius celebrantur, vsu compertum est, vberiores eleemosynas dari: ideo vnusquisque sacerdos horam præoccupare studet, qua summo mane Missam celebret: quo fit, vt in ecclesia statis alijs horis Missæ desint. Cui rei pro pastorali cura nos occurrere volẽtes, sta-

tuimus,ac decernimus,eas eleemosynæ obla
tiones, quæ eo natali die inter Missarum so-
lẽnia in cathedrali nostra ecclesia, Sancti An
tonini item, et in reliquis Collegiatis vrbis,
et diœcesis nostræ Ecclesijs fiunt, omnibus,
et singulis sacerdotibus, qui vel quauis hora
celebrauerint, habita pecuniæ oblatæ ratio-
ne, æque distribuendas esse. Nec vero sa-
cerdos vllus sibi eleemosynas attribuere au-
deat, quæ in Missæ sacro, quod fecit, oblatæ
sunt; sed peractis omnibus sacris, quicquid
eleemosynæ nomine oblatũ est, id omnibus
æqualiter diuidatur.

In reliquis Ecclesijs, quæ vel Rectoriæ, vel
Præpositurae vocantur, de oblationibus, quæ
die Natali Domini, et in Paschæ celebritate,
alijsue festis diebus fiũt, integrum ius suum
cõseruetur Rectori, aut Præposito Ecclesiæ,
in qua eiusmodi eleemosyna offertur.

ILLVD vero maxime interdictũ sit, quod aliàs
praua cõsuetudine introductum fuit, vt ne,
cum Missa noua vsquã canitur, saltationes,
vel choreæ, vel spectacula eo loco agantur;
ne ue tibiæ, cornua, et reliqua, organo excep-

to, musica

to, musica instrumenta, et prophana cantica adhibeantur; neue alea, aut taxillis ludatur: sed is dies, vt debet, pie, sanctéq. colatur.

NE in Missa etiam, quæ cantu, vt vocant, figurato celebratur, Graduale, Alleluia, Tractusue omittãtur; sed eo canendi modo, quem firmum dicunt, pronuncietur, cantu scilicet graui, pio, et distincto. Nec vero quicquã præterea aliud a re diuina, quæ agitur, eorũ loco canatur.

SACERDOTE celebrante, ne ministri per ecclesiã vagentur, neue candelis venditandis, aut collocutionibus operam dent: sed omni intima animi pietate, composito corpore, sacerdoti adsistant, atque inseruiant, quemadmodum decet seruos Dei.

SI eodem tẽpore Missæ plures celebrãdæ sunt, ne, vbi fieri cõmode poterit, in Altaribus ita propinquis celebrentur, vt sacerdotes celebrantes mutuo se audiant; vnusq; item alterum quodam modo impediat. Sin autem ecclesiæ locus angustus, atque exiguus est, ita ordine distribuantur, vt vna non inchoetur, nisi altera absoluta.

PAROCHI autem Missæ sacrum ea hora faciant, quæ sit populo vniuerso accommodatior. Quod horæ tẽpus ne, vt sibi libet, præoccupẽt, nec vero protrahãt, ne nobilis quidem cuiusuis viri expectandi gratia.

QVI sacerdotes vel sæculari alicui ecclesiæ, vel oratorio cuiuis, etiam si cuiuspiam Disciplinatorũ sodalitatis sit, inseruiunt, ne ij Missæ sacrum ante faciãt, quàm sacerdos, qui in ea parochia animarum curã gerit; idq. nisi, cum stata illa hora præterijt, qua in ipsa parochiali ecclesia Missæ sacrũ fieri solet. Neque vero in ijs ipsis Oratorijs illi, id quod nõ sine ipsius parochi, animarũue curatoris iniuria, atque damno fieret, oblationem vllam in Missa colligant.

C. 2. de Paroch. Seff. 22 de ijs, q̃ vit. et obs. i cel. Mis.

SACRORVM canonum institutis, et Tridentinæ synodi auctoritate adducti, populum, fidei nostræ commissum, monemus, vt dominicis, festisq. alijs diebus, qui præcepto ecclesiæ coluntur, ad Missæ sacrum, in suam quisque parochialem ecclesiam conueniat; vt a parocho, cui proprie eius cura cõmissa est, fidei christianæ rudimẽtis, salutaribusq. alijs,

anima-

animarũ ſaluti neceſſarijs præceptis erudiatur; tum ab eodem item audiat,qui dies feſti,ſi qui in hebdomadam inciderint,colẽdi, quæ vigiliæ, ieiuniaq. ſeruãda ſint,quæ ſupplicationes,proceſsionesue indicantur, quæ præterea nuptiarum denunciationes fiant; quæ etiam alia Epiſcopi iuſſu denunciẽtur, quæ a populo fideli ſeruari oporteat. Vt autẽ id a populo præſtetur,parochis noſtris iubemus, vt quàm ſæpiſsime huius debiti officij illũ moneant, hocq. etiam ipſum faciãt auctoritate noſtra.

Id parochis etiam curæ damus, vt crebro patres familias moneant,atque hortẽtur, vt quos famulos,vel filios fortaſſe,in beſtijs paſcendis occupãt, eos feſtis ſaltem diebus intereſſe iubeant Miſſæ ſacro.

ET in Miſſæ ſacrificio,et in reliquis diuinis officiis ne veſtes,ornamenta,aliaue cuiusuis generis indumenta,inſtrumentaue, ad vſum ſacrum comparata,adhibeantur; niſi ex eccleſiæ inſtituto ſolemni ritu ab Epiſcopo benedicta ſint.

QVOD vero ad fideles pertinet, ij dum Miſſæ

ſacrifi

ſacrificium fit,religioſe intus in eccleſia inte reſſe debent; ideo ne quis in ipſis foribus, nec vero pro foribus eius ſtet; illud mẽte re petens,cum locum eſſe domum Dei Altiſsimi,diuinis myſterijs dicatã,in qua fideles ad orandum conueniant. ideo fidelis quisque videat,ne quid in ea,neque adeo pro foribus eius indecore agat,nec quicquã eius loci ſan ctitate indignum: alioqui diſperdet illum Deus,inquit Apoſtolus.

Abſtineat propterea quiſque,dũ Miſſa celebratur, confabulationibus, riſu, et omni alia indecora actione; ſed ſe ad eam pie,religioſeq. audiendam componat, in tanti myſterij contemplatione defixus,qua incenſus, ſi non ſacramento ſimul et ſpiritu,at deſiderio,votoq. ſacram Euchariſtiam percipiat.

NE præterea quis ita ad Altare proxime accedat, vt ſacerdoti celebranti vel moleſtiæ ſit, vel impedimento. Neque vero ab altari, in quo ſacrum fit,auerſus interſit.

Quod antiqua huius eccleſiæ ſynodali cõſtitutione decretum eſt, idem etiam perpetua hac ſanctione munimus,cum id canonũ

item

item iure conſtitutum ſit, vt ne vlla cuiusuis ordinis, aut dignitatis fœmina, in altari non modo non miniſtret ſacerdoti celebrãti; ſed ne intra cancellos quidem ſacelli, dum Miſſæ ſacrum fit, ingrediatur; nedum ad ipſum altare propius accedat, excommunicationis pœna propoſita; qua afficietur, ſi admonita non paruerit. Quam ſane rem cũ ſæpe mulieres a parochis moneri iubemus; tum concionatores hortamur in Domino, vt in ea re ipſa reprehendenda, atque exagitanda vehementes ſint, ac diligentes.

FIDELES denique in Miſſæ ſacrificio, capite aperto ſemper ſint; et eo ſaltem tempore, cũ cõfeſsio dicitur, et auguſtiſsima myſteria peraguntur, vtrumque genu flectant.

Nec vero ante diſcedant, quàm Euangeliũ abſolutum ſit, quod poſt benedictionẽ a ſacerdote dicitur, vel legitur. quod Agathenſi, Triburienſi, et Aurelianenſi concilijs grauiſsime ſancitum eſt.

GRAVISSIME peccat homo chriſtianus, ſi, vt eſt eccleſiæ præceptum, feſtis diebus Miſſæ ſacro non interfuerit. itaque cũ hoc ma

xime

xime præstare debeat, tum illud etiam omni no curet, vt propitiatorij illius sacrificij, quo Deus nobis placatus, et propitius redditur, salutarem fructũ capiat. Quem, ex ipsius Dei benignitate, ipse consequetur, si tanto mysterio adesse studuerit, animo a mortiferis peccatis puro, atque integro, et mẽte item ne vllius quidem perturbationis veneno infecta. Quare et parochis nostris iubemus, et cõcionatores hortamur in Domino, vt populũ fidelem non solum doceant, Dei, et Ecclesiæ præcepta seruãda esse; sed modum etiam ei tradãt, quo ea ex Dei voluntate seruari oporteat. Cum igitur de Missæ sacro audiendo illum commonent, tunc eam illius præcepti seruandi rationem vnicuique christiano homini ineundam esse doceant, vt, signo cãpanæ dato, quo fideles ad Missæ sacrum vocantur, vnusquisque, conscientiam suam excutiens, si alicuius mortiferi peccati se reum cognouerit, abiecta omni peccandi voluntate, et consensu, supplex a Deo veniã petat illius peccati, cuius labe se inquinatũ sentit; ita vt etiam si illud tum sacerdoti non cõfiteatur,

summo

summo saltem dolore ex eo affectus, vitæq. emendandæ certam, et stabilem cogitationẽ suscipiens, veræ contritionis virtute a Domino, dum supplex Missæ sacro interesit, delictorum suorum veniam, et gratiam consequatur.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

SACRAMENTVM Pœnitentiæ non secus lapsis post baptismum, ac baptismum non dum regeneratis ad salutem necessariũ esse, sacra Tridentina testatur synodus. Vt igitur ad hoc sacramentum tam necessariũ, sine quo, post amissam baptismi innocẽtiam, peccatorum remissionem a Domino impetrare, aut ne sperare quidem vllo modo licet, fideles debita præparatione accedant: ea parochorum cura sit, populum, sibi commissum, sæpe docere tres illas, quæ tamquam totam, integramq. pœnitentiam constituunt, partes, Contritionem scilicet, Cõfessionem, et Satisfactionem; deinde quo etiã modo hæ partes inter se cohæreant, tum quę ad veram Sess. 14 de pęn. sacr.

contritionem necessaria sint, qui item eius fructus, et quæ vtilitas, qua præterea ratione se quisque ad eam exercere posit: qualis itē, quę pœnitentiæ altera pars est, confesio esse debeat, quæ eiusdem vis, et natura sit, qui effectus, et quæ potisimum conditiones ad cō fesionē vere pœnitentis necessarię sint: post, quàm necessaria sit satisfactio, quę tertia pœnitentiæ pars, illis duabus annexa est; quāta item eiusdem vis, et vtilitas, et quis præterea iustæ satisfactionis modus.

In ijs, atque adeo alijs, quæ ad hoc sacramē tum pertinent, explicādis ita parochi versen tur, vt nullam rem denique fidelibus adeo curæ esse debere ostendant, ac persuadeant, quàm vt frequenti peccatorum confesione animam studeant expiare. Vis enim illius in eo est, vt peccata deleat, et in Dei gratiam nos restituat. nam si cōfiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, et iustus, vt remittat no-
I. Io. 1. bis peccata nostra; inquit Ioannes Euangelista. Necessarios autem ad hanc explicatio nem, et tractationē locos, vberrime tractatos, e Catechismo Romano potisimum, pa-

rochi

rochi ſumant.

CVM autem ſacerdos, confeſsionis miniſter, iudicis, et medici ſimul perſonam gerat, vt et, quod ad iudicem attinet, ex varijs peccatorũ generibus, quæ grauia, quæ læuia ſint, pro cuiuſque hominis ordine, et genere iudicare poſsit; et tamquã medicus ea remedia ægroto adhibeat, quæ ad illius animam ſanãdam, et in poſterum contra vim morbi muniendam aptiora videantur; neceſſe eſt, vt is præter ordinis, et iurisdictionis poteſtatem, quæ res duæ prorſus neceſſariæ ſunt, tum ſciẽtia, et eruditione, tum prudentia præditus ſit. Hac ratione, et ſanctæ Tridentinæ ſynodi au- Seſſ.23 ctoritate in primis adducti, prohibemus, ne c.15 quis ſacerdos ſiue ſæcularis, ſiue regularis, in audiendis cõfeſsionibus ſe exerceat, niſi eiuſmodi ſit, qui ætate, vitæ diſciplina grauis, doctus, prudens, de animarum ſalute ſollicitus, chriſtianæq. pietatis amãs, Epiſcopi ſcripto teſtimonio, ac iudicio ſit comprobatus. Qui contra admiſerit, excommunicationis vinculo irretitus ſit.

CONFESSIONES non fœminarum ſolũ, ſed

etiam virorum ne in priuatis ædibus, sed pu blice in ecclesia, loco non obscuro, sed aperto, et conspicuo audiantur; idq. nisi necessitas, aut infirma valetudo aliud quandoque postularit. Intus autem in Monasterijs, virorum, et eorũ, qui grandiores natu, adulta ætate sunt, confessiones audiri, nõ vetamus.

CONFESSIONIBVS autem audiendis sedes ita constituantur, vt inter pœnitentem, et cõ fessorem tabella media interijciatur, in quã lamina plena foraminibus inclusa, mutuum tactum prohibeat, auditum nihil impediat. Harumq. sedium formam in omni tum sæcularis, tum regularis cleri ecclesia cõstitui, huius decreti nostri synodalis auctoritate iu bemus.

CVM vero illud vel diligentissime cauendum sit, ne cui vlla in ministerijs ecclesiasticis tractãdis occasio præbeatur vel suspicionis, vel offensionis; hoc etiam vetamus, ne qui sacer dotes siue sæculares, siue regulares, qui in audiendis cõfessionibus versantur, ante ortum, aut post occasum solis, vllam mulierem, etiã quouis nobili genere illustrem, dignitateue

prædicam, cõfitentem audiant. Quoniam vero, feria quinta hebdomadæ ſanctæ, frequentiſsima multitudo ad ſacram Euchariſtiam ſumendam in eccleſias cõuenire ſolet, vt vix, aut ne vix quidem tẽpus in tanta hominum frequentia ſacerdotibus tunc ſuppetat ad eos, qui ſe reconciliare volunt, audiendos; non vetamus, eo feriæ quintæ die, paulo ante auroram; vel pridie illius diei paulo item poſt ſolis occaſum, fœminas, modo ſolæ non ſint, ſed comites alias honeſtas mulieres habeant, ad confitendum in eccleſiam recipi; quæ eccleſia, dum illæ confitentur, accẽſis luminibus, ſplẽdore illuſtris ſit; tum eius item fores pateant. Illæ autem mulieres in nulla mora ſint, vt quamprimum confiteantur; et inde honeſto comitatu domũ redeãt.

CAVEANT ſacerdotes, quibus audiendæ ſacræ confeſsionis munus commiſſum eſt, ne quemquam ijs peccatis, quæ Bulla cænæ Domini continentur, neque illis, quorum abſolutio nobis iure, aut conſuetudine reſeruata eſt, illigatum abſoluant.

Ne vero ij per imprudentiam extra fines

egre-

egrediantur,quibus illorum auctoritas continetur; et ignoratione quadam ad excusationem vtantur; nos, quorum casuum absolutio ecclesiæ huius consuetudine Episcopo reseruata est, eos ordine descriptos, in extrema constitutionum harum parte notari voluimus.

Quicunque vero sacerdos hos casus apud se notatos non habet; is initio Quatragesimæ a Cancellario nostro sumat; nihilq. det, nisi quantum ab ipso Cancellario in chartã, et in operam typographi erogatum esse apparet ex ea,quæ eidem præscripta est,æstimatione.

ID præterea caueant,ne concubinarios, et vsurarios homines absoluãt,ne spe quidem, aut promisione inducti,qua illi spondeant, se satisfacturos esse, idq. præsertim, si semel admoniti,non resipuerint. Quos tamen periculose ægrotare cognouerint; eos ita absoluant, si sponsione idonea facta cauerint, se esse satisfacturos.

IIDEM publice peccantibus, quemadmodum Tridentina Synodus decreuit, publi- Seſſ.24 c. 8

cam

cam pœnitentiam imponant; Neque hoc publicæ pœnitentiæ genus, priuata alia pœnitentia commutent, nisi data a nobis, aut Vicario nostro scriptis facultate. Quod si ob publicam offensionem, publica illa pœnitentia præscribenda erit, quam pœnitens refugiat; persuadere ei diligenter, pieq. studeant, vt is libenti, alacriq. animo excipiat, quæ et sibi, et alijs salutaria futura sunt.

Et quoniam vniuersæ satisfactionis modũ culpæ ratio temperare debet; nosse item studeant canones, qui ad satisfactionis, et pœnitentiæ modum pertinent. Quos canones, ordine descriptos, ex sacerdotali libro, qui Romanæ ecclesiæ vsu comprobatus est, facile percipient. Ita tamen hac ipsa in re se gerant; vt, cum norint, quanta et cura, et diligẽtia pœnitentiæ olim præscriberentur; id etiã pœnitentes ipsos, prout culpæ grauitas postulabit, aliquando moneant; quo diligentius illi et in posterum peccata vitent, et præterita vehementius defleant, cum in pœnitẽtijs canonum mitigandis ecclesiam adeo benignam ipsi experiantur.

A CONFITENTIBVS nihil cōfeſsionis, vel abſolutionis cauſa exigant; quod ſi pœnitētia præſcribenda eſt, aliqua pecuniæ ratione, ne ſibi eam pecuniam, ſed locis pijs attribui curent, vt in opera pietatis erogetur.

Si quid vero eleemoſynæ cauſa pœnitenti erogandum eſt in Miſſæ ſacris faciēdis, ne id quidem ſibi, ſed alijs ſacerdotibus dari ſtudeāt, qui pro illius peccatis expiandis Miſſæ ſacrum faciant.

ILLVD autem, quod etiam catechiſmus Romanus monet, pœnitentibus cōfeſſores præcipere in primis ſtudeant, vt certis aliquot, et definitis diebus orationi vacēt, ac pro omnibus, et præſertim, qui ex hac vita in Domino deceſſerunt, preces Deo faciant.

QVOD Lateranenſi concilio primum ab Innocentio Tertio pie conſtitutum eſt, idemq. nuper a Pio Quinto Pontifice Maximo graui ſanctione medicis præſcriptum; cum hoc ab illis quam diligentiſsime obſeruari velimus, illius conſtitutionis auctoritate omnibus, et ſingulis, qui in vrbe, diœceſiq. noſtra medendi artem profitentur, exercent ue, id,

propo-

proposita excommunicationis pœna, iubemus, vt cum ad ægrum aliquem, in lecto decumbentem vocentur, eum planè moneāt, vt de peccatis suis idoneo sacerdoti confiteatur. Quod nisi bidui, aut tridui ad summū spatio præstiterit, eius curationem deserant; donec ille certo docuerit, se paruisse huic decreto.

POENITENTES, pietate accensi, cum ad cōfessorem accedunt, mente secum cogitent, eū animæ suæ medicum constitutum esse, Christiq. Domini locum in eo confessionis audiēdæ munere tenere. Quare, aperto capite, ad pedes eius abiecti, demisso in terram vultu, debent ipsi primum bona fide, atque omni intimo animi dolore, non sine magna spe veniæ a Dei misericordia consequendæ, vulnera, et plagas suas illi sigillatim indicare, atque aperire. Confessoris autē partes erunt, pium confitentium studium, si qua in parte illi deerunt, paternis monitis, et percūctationibus ad rem necessarijs adiuuare, ita vt illorum saluti omni cura ab eo succurratur.

PIE, ac sapienter summus Pontifex Innocētius

Tertius concilio Lateranẽſi ſanciuit,vt fideles ſemel ſaltẽ in anno proprio parocho peccata ſua confiteantur. quod ſalutare decretum, perpetuò eccleſiæ catholicæ vſu firmatum,inuiolate in vrbe, et diœceſi noſtra obſeruari mandamus. Quod vt ab omnibus præſtetur,parochi fidelem populum ſæpiſsime moneant, vt paſchæ tempore ſingulis annis vnusquisque proprio parocho confiteri ne omittat; niſi ſibi eius rei poteſtatem, ſcripto conceſſam,eius parochus iuſta aliqua de cauſa conceſſerit.

Si quis vero ab vrbe,vel a parochiæ ſuæ finibus abfuerit; ſe alio loco peccata confeſſum,ſacram item Euchariſtiam paſchæ tempore ſumpſiſſe affirmet; id, probabili fide, ſcriptoue obſignato, teſtatum faciat; alioquin, vt eccleſiæ præcepto planè obtemperet,iterum proprio ſacerdoti confiteatur, eu chariſtiæq. ſacramentum percipiat. Quod niſi præſtiterit, excommunicationis pœna, vt iuris eſt,afficiatur.

DE

VT optimos ecclesia Dei sacerdotes, ac ministros habeat; omnem diligentiæ rationē Tridētina Synodus Episcopis præscripsit in ordinibus conferendis. Illius igitur sacræ Synodi constitutionem secuti, edicimus, ac iubemus, vt qui prima tōsura, minoribusue ordinibus initiari volunt; a parocho, in cuius parochiæ finibus habitant, tũ a ludi etiā magistro, in cuius disciplina sunt, statis temporibus scriptum afferant, quo de eorum vita, et moribus testatum fiat; alioqui, si facere omiserint, illis non adscribentur. Sess. 23 c. 5

Qui vero singulis maioribus ordinibus assumendi sunt, mense ante, Episcopum conueniant, qui, cognita eorum voluntate, id parocho negotij deleget, vt propositis eorum, qui in ordines sacros adscribi cupiunt, publice in ecclesia nominibus, de eorũ natalibus, vita, moribus inquirat a viris ætate, et probitate in eo oppido, pagoue grauioribus, qui iurati ea omnia testentur.

Tum cognitis ijs omnibus ipse parochus;

 obsi-

obſignatis litteris, Epiſcopo non ſolum ſingula ea teſtata faciat, verum illud etiã, quod ordinis ante ſuſcepti functiones, in eccleſia præſtiterint.

QVAE donationes vel a patre, vel ab alio ei fiunt, qui ſubdiaconatus ordinem ſuſcepturus, eccleſiaſticum nullum beneficium obtinet, vnde ſe alere poſsit: ad earum donationum inſtrumenta conficienda fori Epiſcopalis Cãcellarius adhibeatur, ne quid per imperitiam erroris, id quod ſæpe ab alijs cõmiſſum eſt, in ea conficiendi formula in poſterum contrahatur.

Eidem autem Cancellario duorũ, qui idonei ſint, teſtimonio, adhibito etiam iureiurãdo, teſtatũ fiat, ea bona, quæ dono data ſunt, donantis eſſe, ab eoq. poſsideri; tantumq. inde cenſus percipi poſſe, vt ſatis eſſe poſsit, ad vitæ clerici ſuſtentationẽ. Qui clericus iuratus ſpondeat, ſe, quod donatum eſt, neque donanti retroceſſurũ, neque item alteri alienaturum abſque Epiſcopi conſenſu.

DOMINICO illo die, qui quatuor ſtata ieiunij tempora, quibus Ordinis ſacramentũ mi

niſtratur,

nistratur, proxime antecedit, parochi vrbani, et diœcesani item, non solũ solemne illud ieiunium, eius rei causa, ex doctrina spiritus sancti institutum, populo denuncient; verũ etiam vnusquisque eorum in sua parochiali ecclesia supplicationes, litaniasq. pie, ac religiose vel intus habeat; vel prosequente fidelium multitudine, foris ecclesiã, sicut moris est, obeat; vt Dei, Sanctorũq. ope implorata, et Episcopus in eo sacræ administrationis munere adiutus, ecclesiasticos ordines in illos conferat, qui ad eam ordinum dignitatem, potestatemq. recte, et cum ecclesiæ vtilitate aptiores erunt; et illi, quibus conferũtur, virtutum quasi gradibus progrediẽtes, in vitæ sanctitate, doctrina, religiosisq. virtutibus Christo Domino ministrent.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

CVM laici homines minus intelligant, quãta sit matrimonij vis, ac sanctitas, neque cuius rei causa illud sit contrahendũ: solet propterea ab illis sæpe grauiter in ea re peccari,

quæ

quæ religiosam animi præparationem requirit. quare parochi sæpe, cum vsu venerit, populum doceant, quàm præstans sit illius natura, et quem ad finem referatur; tum ostendant ea legitima coniunctione intra illos fines vtendum esse, qui a Domino præscripti sunt. Qua in re suadenda adhibeant Catechismum Romanum, vnde huius rei locos; et doctrinam petant.

Seß. 24 c. 1 Vtq. inter fideles matrimonia sancte coniungant; ea quàm diligentißime seruēt, quæ Tridentina Synodus eo de genere statuit; quæq. nos sæpe ipsos monuimus.

Legant præterea in ecclesia frequenti populo quotannis quater, aut quinquies, atque adeo sæpius, si opus erit, eiusdem Synodi de clandestinis matrimonijs decretum; idq. nō solum latine, sed cōmuni etiam sermone expressum.

Denūciationibus igitur, et alijs rite factis ad ipsius Tridentini concilij præscriptū, non alio loco matrimonium parochus celebret, nisi in ecclesia, qui proprius est sacramentorum locus. quo loco tunc sponso, sponsaq.

recte interrogatis,cognitaq. vnius,et item alterius voluntate,mutuoq. consensu, eos cõiungat,adhibita hac verborũ formula; Ego vos in matrimonium iungo, in nomine patris,et filij, et spiritus sancti, Amen.

Quoniam matrimonij libertatem violare nefas est; huic rei nefariæ vt remedium salutare Tridẽtina Synodus adhiberet,graui decreto contra eos sanciuit, qui inuitos cogerent matrimonio iungi. Ne igitur quis per imprudentiam id culpæ, criminisue admittat, anathematisq. pœnam,quam eadem Synodus statuit, ipso facto subeat: nos decretũ illud quotannis a parochis nostris, latino, et vulgari sermonæ promulgari iubemus. Sess.14 c.9

NEC vero parochi,id quod Tridentina Synodus monuit, fideles hortari desinãt,vt tribus ante matrimonij consumationẽ diebus,peccata sua confiteantur, et sacrosanctã Eucharistiam omni religiosa,piaq. animi præparatione sumant.

LIBRVM item habeant,seduloq. asseruent,in quem virorum,et mulierum nuptias contrahentium,et testium,qui interfuerint, nomi-

na, tum dies, quo ea contrahuntur, referantur, ac plane notentur.

QVI matrimonio iuncti sunt, si eorum alter cõ plures annos longe absfuerit, neuter, siue vir, siue vxor alias nuptias contrahat, nisi certa, et explorata alterius morte, et Episcopo, aut Vicario eius comprobata, matrimonium, inter se initum, iam sit diremptum.

QVOD denique Tridentina Synodus de matrimonijs constituit, quæ cum vagabundis hominibus iniri quandoque solent, id a parochis integre, inuiolateq. obseruari mandamus.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

PAROCHVS, cum ad ægrum quempiam, sacro oleo vngendum venerit, vtilitates ei explicet, quæ ex hoc sacramento capiũtur; tum persuadeat, vt ea fide se vngendum præ
Mar. 6 beat, qua olim, qui ab Apostolis sanãdi erãt, se ipsos offerre consueuerant.

Vt igitur is hoc vtiliter præstare posit, ægerq. animi pietatem, et religionem, quam debet,

debet,afferens,vberiorem ſacramenti gratiā percipiat; ne in id temporis momentū,cum ille,amiſsis iam ſenſibus,animam agere incipit, hoc ſacramentum differat; ſed tum miniſtret,cū,integris adhuc ſenſibus, mentisq. et rationis vſu viget. Quod ſi vel nimia negligentia,vel morbi vi,repētinoue aliquo caſu æger in eo ſtatu eſt, vt nihil planè intelligat,adhuc tamen viuat,et alia præterea ſacramenta ante perceperit; tum neque hoc Extremæ vnctionis ſacramentum, ei miniſtrandum prætermittatur.

CVM vero omni ſtudio curare oporteat, ne quid ſacramenti gratiam impediat ad percipiendos huius myſterij fructus; cumq. huic rei nihil magis obſit, quàm alicuius peccati mortiferi conſcientia; ſeruet parochus perpetuam eccleſiæ conſuetudinem,vt ægris cō feſsis,quiq. ſacram Euchariſtiā ſumpſerint, Extremam Vnctionem miniſtret.

Miniſtret autem ſemel vna eademq. durāte ægrotatione.

Hoc itē maxime videat ſacerdos, qui hoc ſacramentum miniſtrat, vt ne ante, vel poſt

vnctionem,ſed dum ægrum vngit, tum verba,ad ſacramenti formam pertinentia, proferat. Cauendum eſt item,ne vnus vngat, alter vero verba pronunciet, ſed qui vngit, is item ea verba proferat.

RELIQVI preterea,quos huic miniſterio adeſſe contigerit,ægrotum religioſis precationibus Deo commendare non intermittant, eo potiſsimum tempore,quo ille maxime adiuuãdus eſt. Quod pietatis munus vt illi præſtent,illos parochus præmoneat, atque hortetur.

OLEA ſancta,quæ die cœnæ Domini conficiũtur, ne a laicis hominibus, ſed a ſacerdotibus,vel clericis ſaltem, qui ſacris initiati sũt; ad eccleſias deferãtur, quibus illa diſtribuẽda ſunt.

Deferantur autem vaſculis, non ligno, neque ære,ſed ſi minus auro, aut argẽto poteſt, e ſtanno ſoltẽ confectis, et in capſulam eiuſmodi incluſis, vt, eius operimento paululum preſſo manibus, per ſe claudatur; ita vt ea ſolum claue aperiri poſſit,quę apud illius eccleſiæ Archipreſbyterum aſſeruatur, ad

quam

quam defertur.

Vascula autem ea vel in ecclesia, vel in sacristia asseruentur armario, clauibus adhibitis. quæ ita asseruata, litteris præterea distincta sint, vt facile internosci possit, quod vasculum Chrysmatis sit, quod sancti olei infirmorum, quod item sacri olei Chatecumenorum.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM,

QVALES eos esse oporteat, qui diuino cultui, sacrisq. mysterijs consecrati sunt, cælestis magistir, Christus Dominus docuit illis verbis, Vos estis sal terræ, ac lux mundi. Matt. 5
itaque nihil illos agere, nihil gerere, nihilq. præ se ferre oportet, quod non simplex, castum, integrumq. sit; vt modestiæ, morũ sanctitatis, ac virtutum denique omnium ceteris exemplum, quasi lumen aliquod, ipsi præbeant. quare cum in tantis morum erroribus, quibus, quasi zizanijs, sempiternus salutis nostræ hostis Satanas agrũ Domini conserere studuit, non sine magna animi mole-

ſtia animaduertamus, clericalis diſciplinæ ſtatum in vrbe, diœceſiq. noſtra pene deſloreſcere; nos et adducti zelo Dei, cui in omni iuſtitia, et ſanctitate ſeruire debemus, et Tridentini itē concilij iuſſa exequentes, hæc pro paſtoralis noſtri muneris ratione, de clericorum vita, et honeſtate ſancienda cenſuimus. quæ partim a veterum canonum fontibus hauſta, partim ab ipſius Tridentinæ ſynodi decretis ſumpta, partim ab alijs huius eccleſiæ ſynodalibus conſtitutionibus accepta, in vſum a vobis reuocari iubemus, vt vrbis, diœceſisq. noſtræ mores ad optimā chriſtianæ religionis diſciplinam, adiutrice Dei gratia, conformemus.

PRIMVM igitur, vniuerſos, et ſingulos noſtræ vrbis, et diœceſis ſacerdotes, ac clericos hortamur, atque per viſcera Ieſu Chriſti Domini obſecramus, vt officij ſui memores, omni ſtudio pietatem, et charitatem, quæ ſeminarium eſt omnium virtutum, amplectantur, iuſtitiam item, manſuetudinem, et quæ nos Deo tantopere commendat, ſanctam humilitatem colant; abiectaq. denique diuitiarū,

mundi,

mundi, carnis ſollicitudine, et cura, Dei lucem in eis collocatam, non modo patiantur proprijs tenebris obſcurari; ſed veluti miniſtri Chriſti, et diſpenſatores myſteriorũ Dei, ita omni virtute prælucere ſtudeant, vt innocentis, ſanctæq. eorum vitæ exemplo ceteri ad religioſe, pieq. agendũ incitati, recte ambulent in via Domini.

QVONIAM autẽ ſacerdotes, et parochos, ſacrarum litterarum ſcientia ita inſtructos eſſe oportet, vt fidelibus Chriſtianæ fidei myſteria, et diuinæ legis præcepta tradere, tum ad virtutem, pietatẽq. incitare, et a vitijs reuocare illos poſsint: Sciant propterea in officio ſuo poſitum eſſe, vt, cum vel in officijs diuinis obeundis, vel in alijs ſanctis, pijsq. actionibus, quas præſtare debent, tempus cõſumpſerint, ſi quid ſibi reliquum eſt, id omne non in rerum ſæcularium tractationibus, colloquijſq. prophanis, ſed in cæleſtium rerum cõtemplationibus, et in diuinarum litterarum ſtudijs traducant. quæ ſane ſtudia adeo valde complecti debent, vt; qui aſpernetur, contra eum dicat Dominus, Quia tu Oſee 4. ſcientiam

ſcientiam repuliſti, et ego repellam te,ne ſacerdotio fungaris mihi.

VT vero ij, e quorum ore populus ſcientiã requiret,in ſalutarem diuinarum litterarũ doctrinam incumbant; legemq. Domini,in cuius ſortem vocati ſunt, dies, noctesq. meditentur; eisdem hoc iubemus, vt habeant ſacrorum librorom,ſi non copiam, at neceſſarium certe delectum; omnino autem teſtamentum vetus, et nouum, Catechiſmũ Romanum, Tridentinum concilium, et has noſtras ſynodales conſtitutiones, et homiliarũ librum,noſtra auctoritate comprobandum.

CVM præterea in ijs ipſis ea doctrina requiratur,quæ ad ſacramentorum vſum, et tractationem, tum ad caſuum conſcientiæ cognitionem pertinet; librum,qui inſcribitur Sũma Sacramẽtorum Fr. Franciſci a Victoria, ad eorum vtilitatem in primis Placentiæ impreſſa,vel aliquam aliam ſummã, præſertim vero Antoninam,aut Syluestrinam, aut Armillam ſibi comparent.

Hortamur autẽ vt quotidie aliquam temporis partem in his, vel alijs ſanctorum Patrum

trum opuſculis legendis ponant; Manipulũ autẽ curatorũ in manibus ſemper habeant.

CLERICI vero inferioris ordinis, ſi litterarum rudes, ignariq; ſunt, ea tamen ætate, vt grammaticæ præceptis inſtrui poſsint; ij, ad quos illorum cura ſpectat, ſtudeant eoſdem et ea cognitione, et chriſtianæ item fidei diſciplina erudiri.

VETERIBVS huius eccleſiæ Synodalibus cõſtitutionibus, et Tridentini in primis concilij auctoritate adducti, omnibus, et ſingulis eccleſiaſtici ordinis hominibus, qui aut ſacris initiati ſunt, aut dignitates, officia, beneficia ue cuiusuis generis, etiã ſimplicia, in vrbe, diœceſiq. noſtra obtinent, edicimus, ac iubemus, vt mẽſe poſt huius Synodi promulgationem, clericalem habitum ſumant, ordini, ac dignitati ſuæ congruentem. Quòd ſi quis huic noſtro Synodali decreto non paruerit; pœna afficietur, quę a Clemẽte Quinto, Pontifice Maximo, Viennenſi concilio, et Tridentinæ ſynodi conſtitutione ſancita eſt. Hôc ipſum clericis itẽ edicimus, qui prima tõſura, et minoribus ordinibus initiati ſunt, Seſſ. 14 c. 6.

vt

vt hoc præſcripto tempore,ipſam tonſuram, et habitum ordini ſuo congruentē,induant.

PRESBYTERI, Diaconi, Subdiaconi, ac reliqui item clerici, clericalis tonſuræ corona inſigniti ſint; capillis ita abraſis,vt tonſura cōſpicua ſit, et decora,pro cuiuſque eorum ordinis ratione.

CLERICALEM habitum induant,qui nō ſericus ſit,aut ijs denique ornamentis contextus,vt in eo ſtudioſius exquiſita cultus elegātia appareat; ſed ſimplex ſit, ac mundus, vt ex illo animi eorum integritas ſignificetur. Sed dum nimium cultum vitare ſtudent, id caueant,ne affectatas habitus ſordes ament.

VESTITV autem omni vtantur, qui colore nigro ſit, niſi forte alium poſtulat colorē dignitatis gradus.

Externa veſtis talaris ſit, atque eiuſmodi, vt non a ceruicibus in tergum reflexa, ſed decenter annexa ſit,apto ad collum modo; id quod alias antiquis huius eccleſiæ conſtitutionibus præſcriptum fuit.

Interior vero veſtis,quam canonici,Plebani,ceteriq. oēs eccleſiaſtica dignitate prædi-

ti,

ti, induunt, talaris sit itē. Reliqui vero clerici ea vtantur, si ad talos nō demissa, at saltē, quæ infra genua sit, quinque ad minimū digitis.

Nemo, vero, nisi Abbas sit, Referendarius, aut Protonotarius, exteriori veste vtatur, quæ breuior sit, quàm tunica interior; sed eiusmodi, quæ longitudine ipsam talarem tunicam adæquet.

Caligas non induant, quæ aut dissectæ vllo modo sint, aut turgidæ.

Nec vero vtantur calceis, vllo modo, et ne pūctim quidem incisis, neque ex albo corio confectis.

Camisias ne item ferant eius generis, quæ ad manus, collumue rugosæ sint; neue quæ acu, artificioq. elaboratæ.

Pileum, nisi per pluuias, aut ob cæli grauitatem, aut ob capitis morbū, aut itineris causa, ne gerant. Isq. eiusmodi sit, qui a militaris pilei forma distans, non turbinis speciem præ se ferat; sed talis denique, qui ordinis clericalis hominem deceat.

Anulum ne induant, nisi qui dignitate aliqua, aut doctoratus gradu præditi sunt. ij

 autem

autem illum deponant, cum Missæ sacrum faciunt.

Qui sacerdotes sunt, barbam a superiori labro ita recidant, vt pili in sacrosancto Missæ sacrificio non eos impediant, corpus, et sanguinem Christi Domini sumentes.

Sacerdotibus autẽ, et ceteris præterea clericis, iter habentibus, etsi vestitu cõtractiori vti licebit, at decentẽ tamen esse illum oportet, ex quo eos esse ecclesiastici ordinis homines, agnosci facile queat. Cum autem ij ex oppidis, pagis, alijsue nostræ diœcesis locis, Placentiam, vel aliò venerint, etiam si locus is non sit in diœcesis nostræ finibus, talarem togam, atque alias vestes induant, vt hoc synodali decreto eis iussum est.

Arma cuiusuis generis, quæ vel ad offensionis, vel ad defensionis vsum inuenta sunt, vt veteri etiam huius ecclesiæ decreto Synodali vetitum est, ne ferant; nisi forte locis suspectis, iter eis habendum sit; tuncq. ense solum vtantur. Sclopeto autem, balista, arcubus, hastis, alijsq. huius generis telis, interdictum omnino eis sit.

Perſonati vero ne vllo modo incedant: Choreas præterea, comædias, vllaue ſpectacula ne agant publice, nec vero priuatim: neque illis item interſint. Quod cum multis priſcorum canonum ſanctionibus pie, grauiterq. illis vetitũ ſit, tum ne hoc ipſum admittant, ratione adduci debent; cum valde dedeceat eos, qui ſacris officijs addicti, nulla labe inquinati, pro tota eccleſia Dei orare continenter debent, in ijs rebus tempus conterere, quarum actiones cum ludicræ, impuræq. ſint, ijs ſpectandis oculi, mẽtes, animiq. polluuntur.

Ne præterea clerici, qui ſacris ordinibus adſcripti ſunt, canes alant ad venandum, ac ne accipitres quidem. Ab illicitis denique venationibus, et aucupijs abſtineant.

De nocte, poſt primam horam, domo ne exeant: quòd ſi iuſta, neceſſariaq. de cauſa, foras aliquando illis prodeundum eſt, lumine vtantur; cantilenisq. abſtineant; nec vero cum illis ſe adiungant, qui noctu per vrbem vagantes, illas proferunt.

Et quoniã ea eſſe debet clericalis vitæ ratio,

tio, vt ne ſuſpicionis quidem,ne dum offenſionis cauſam præbeat; ideo ſacerdotibus,et clericis alijs inferioribus, Laicorum hominum familiaritate interdictum ſit, qui nefario aliquo ſcelere, et infamiæ labe inquinati ſunt, quiq. vel rixas, vel hominum inter ſe diſſidentium pugnas amant;ſed ijs maxime hominibus ſeſe adiungere ſtudeāt,qui ſui ordinis ſunt,quiq. ex eorum conſuetudine aliquam virtutis commendationem habere poſſint.

Vt item clericalis ordinis hominibus flagitij occaſio, quæ in cauponis, tabernisq. deeſſe non ſolet,adimatur;cauponarum aditu, vſuq. interdictum illis eſſe volumus, niſi in itinere neceſſitatis cauſa.

Aleis autem, teſſeris, ac talis illos ludere ita vetamus,vt ne talium ludorum ſpectatores ipſos eſſe velimus; quemadmodum etiā ab Innocentio Tertio Lateranenſi concilio ſancitum eſt.

Ne ſacerdos,clericuſue cuiuſuis ordinis in foro, nundinarumue locis abſque honeſta cauſa deambulet,neque vagetur; neue in ijs

ipſis locis interſit vllis ſpectaculis, quæ per circulatores, et circumforaneos, atque id generis nebulones ad fallēdum hominum vulgus, proponi ſæpe ſolent.

NEMO, militans Deo, implicare ſe debet negotijs ſæcularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit, inquit Apoſtolus, ideo hæc, quæ cle- 2.Tim.
ricalis ordinis hominibus antiqua etiam ec- 2.
cleſiæ huius conſtitutione, tum canonum iure vetita ſunt, prohibenda nos quoque ſtatuimus.

Ne aliena prædia, ad Laicos ſpectantia, quauis cauſa, rationiſue ſpecie conducant; ſi quæ tamen ante conduxerint, conductionem eiusmodi, quamprimum opportune poterunt, abijciant.

Procuratoris forenſis officium ne exerceant: neq; aduocationes vllo modo obeāt, niſi in ijs ſolum cauſis, quæ vel ad ſe, vel ad eccleſie ſuæ vtilitatem, commodumue pertinent. Cauſas item propinquorum, ſi neceſſitas poſtulat, et miſerabilium hominum qui alieno patrocinio indigent, tueri ipſis liceat; ſi modo huius rei facultatem ab Epi-

ſcopo,

ſcopo, aut ab eius Vicario,ſcriptis cōceſſam habuerint.

Nec vero in prophanis cauſis tabellionatus munus ſuſcipiant, exerceantue. Neque aliorum, etiam quouis nobilitatis,et gradus dignitate inſignium, negotia gerant, facultate ab Epiſcopo non impetrata, quam in ſingulos annos renouari iubemus.

Ne mercaturam, aut vllam negociationem exerceant: neue in ijs ſe interpretem,et medium interponant.

Medendi artem nullo modo faciant.

Ne denique, parum memores dignitatis ſuæ,ij præſertim, qui ſacris ordinibus initiati ſunt, in laicorum hominū famulatu ſint; niſi cauſa prius cognita, Epiſcopus facultatē cuiquam conceſſerit.

QVI non modo ſe,verumetiam alios in recte, pieq. agendi officijs continere debent, quales ſunt clericalis ordinis homines; eos non modo malum omnino cauere, ſed mali ſuſpicionē vitare oportet. itaque nos hoc decreto ſancimus,ne in ædibus,quæ ad ſacerdotū, aliorumue clericorū domiciliū, atque vſum

extru

extructæ ſunt, fœminæ non extraneæ ſolum, id quod ſacroſancto Nicæno concilio primum, deinde Moguntina Synodo, tum Synodali etiã huius eccleſiæ conſtitutione vetitum eſt, ſed ne conſanguineæ quidem, vnà cum ijs ipſis eſſe, habitareue poſsint: Aliarum vero ædium communi cũ extraneis mulieribus habitatione etſi clericalis ordinis homines omnino interdicimus; at cum cõſanguineis, quæ ſuſpectæ non ſint, vnà eos habitare non vetamus; niſi iuſta de cauſa aliter quandoque ſtatuendum videbitur.

FOEMINIS autem, et Laicis hominibus, præſertim ijs, quibus communi cum ipſis fœminis domicilio vtẽdum eſt, eccleſiaſticæ eiusmodi ædes ne locentur, quæ ad parochi, rectoriſue eccleſiæ vſum ædificatæ ſunt, vnde in eccleſiam, vel in atriũ eius aditus, proſpectusue pateat.

CVM autem ſacerdotes, tamquam Dei interpretes, et internuncij ſint, atque ex hominibus aſſumpti, inquit Apoſtolus, pro hominibus conſtituantur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerãt dona, et ſacrificia pro nobis: idcirco nos Heb. 5

co nos

Seff. 23 c. 14 co nos Tridenrini concilij constitutionẽ nostris et vrbanis, et diœcesanis sacerdotibus, quouis gradu, et dignitate præditis edicimus; tum nos hortamur, vt dominicis, et festis reliquis diebus, Missæ sacrum, nisi iure impediantur, facere ne omittant. Hoc autẽ sæpius parochi, animarumue curatores præstent, vt crebrius postulat vel loci consuetudo, vel necessitas.

DIACONI vero, Subdiaconi, semel singulis mensibus, reliqui præterea clerici inferioris ordinis, solẽnibus Christi Domini festis diebus, et alijs Virgini matri Mariæ dicatis, tum festo omnium Sanctorum die, sacrã Euchari stiam percipiant, adhibita, qua debẽt, animi sanctissima præparatione.

EST illud a Christianæ pietatis ratione, atque vsu alienum, vt, qui asiduis quibusdam offi ciis, ad pie, sancteq. agẽdum laicos homines accendere debent; ij cum contra faciant nõ sine graui offensione, hoc eorũ exemplo alio rum pietas languescat. quare vt sacerdotes, canonici, et alii clerici, quorum exẽplo laicorum hominũ in verbo Dei audiendo studium

dium inflammari debet, frequentes ſacris cōcionibus interſint; id pœnis propoſitis efficiendum cenſuimus, quod aliquādo cohortationibus non potuit. itaque hoc decreto ſācimus,ac iubemus, vt clericalis ordinis homines,niſi iuſta,aut neceſſaria cauſa, quæ ad animarum curam pertineat,impediātur; ad ſacras conciones conueniant,eisq. interſint. Quod ſi quis facere neglexerit,aut nulla iuſta cauſa omiſerit; pœna mulctabitur arbitratu noſtro. Quo autem frequentiores in eccleſia cathedrali ipſi adſint; cū concio habetur,tum neque in Collegiata,neque in parochiali, nec vero in ipſa cathedrali eccleſia; Miſſæ ſacrum fiat.

Eadē etiam propoſita arbitratu noſtro pœna,omnes,et ſinguli ſacerdotes,ac reliqui clerici inferioris ordinis in cathedralem eccleſiam ad ſacram lectionem conueniant, eiq. interſint,quam nos ſingulis diebus feſtis ſtatuemus ad cleri,populiq. vtilitatem.

SACERDOTES, et clerici reliqui inferioris ordinis, menſæ accumbētes, primum benedicant; tum vbi cibum ceperint, Deo gra-

tias agant.

In mensa, in conuiuijs ue omnem, quã maximam ab ipsis, qui abstinentiæ magistri esse debent, adhiberi decet, frugalitatem, et temperantiam adhibeant.

Ne, quod intemperantium hominum est, poculum alter alteri propinet.

Illud vero etiam caueant, ne, quæ iocularia sunt, quæ ridicula, quæ scurrilia, dicant; ne risus solutiores et cachinni excitentur. Quæ omnia à christiana charitate, et sacerdotali grauitate, ac modestia lenge aliena sunt.

Ne parasitos, scurras, ridicularios homines, aut dicaces, eorum mensæ, nec fœminas item vllas accumbere, ac ne eas quidem sibi ministrare patiantur.

Nec vero de fama absentis cuiusquam detrahant, neque quemquam vel irrisionibus, vel vllo maledictorum genere infestentur.

Inanes rerum prophanarum confabulationes a mensa reijciant; sed sacram lectionem, si commode fieri poterit, in ea adhibeant, vel ex sacris Biblijs, vel ex sanctorum Patrum homilijs, alijsq. rerum sacrarum, diuinarumq.

opuſculis comprobatis, vt, dum corpus alitur, animus etiã paſcatur ſacra lectione, qui ſuauiſſimus eſt animorum paſtus. Quam in menſa moderationem, et temperantiam perpetuo ſeruent, tum maxime in ſacerdotalibus conuentibus, quos ſingulis hebdomadis ab illis haberi oportet noſtri ſynodalis decreti auctoritate. Quibus in conuentibus præterea ne datis ſymbolis, aut contributa a ſingulis aliqua ad conuiuandum portione prandij apparatus fiat; ſed conuiuium eius ſacerdotis, in cuius eccleſiam conuenitur, ſumptibus extruatur, idq. eiuſmodi, vt moderatum, ac modeſtum, vereq. ſacerdotale ſit, nempe in quo vnum dumtaxat ferculum apponatur.

NON eſt ferendum, vt qui precibus, et ſupplicationibus publicis, Deo perſoluẽdis ſolemni religione dicati ſunt, ij debitas diuini officij preces horarias omittant. Vt igitur clericorum, qui hoc admiſerint, negligentiæ occurramus; id, quod olim Leo Decimus, Lateranenſi concilio decreuit, edicimus, ac iubemus, vt quicumque clericus, eccleſiaſti- Seſſ. 9 c. 9

cùm cuiuſuis generis beneficium obtinet, ſi ſex poſt mẽſibus, quàm illud obtinuerit, nulla iuſta cauſa impeditus, canonicarum horarum officium, et preces nõ dixerit; illius beneficij fructus ſuos non faciat; ſed eos tamquam iniuſte perceptos, vel in eius eccleſiæ fabricam, vel in pauperum eleemoſynã erogare debeat. Si vero canonice admonitus, in ea ipſa negligentia perſeuerauerit, ipſo beneficio priuetur.

OFFICIVM autem canonicarũ horarũ omittere, vt beneficio quis priuari poſsit, is iure cẽſeatur; qui illud quindecim diebus bis omiſerit. Reliqui autem clerici, maioribus ordinibus adſcripti, qui eccleſiaſticum beneficium non obtinent, huius negligẽtiæ in omittẽdis precibus horarijs accuſati, grauiſsimè plectentur arbitratu noſtro.

Clerici vero minoribus ordinibus initiati, in ſingulos dies preces horarias de Beata Virgine, et ſeptẽ pſalmos dicant. Feſtis autem diebus in eccleſia diuina officia obeãt.

QVAM ſupplici mente, et intima animi pietate ſacerdotes, et clerici horarias diuini offi-

cij preces dicere debeant, id et antiquis conciliaribus constitutionibus cautũ est, et Lateranensi concilio Innocentius Tertius monuit. nam cum non tantum pro populo, vt inquit Apostolus, verum etiam pro se ipsis, qui circumdati sunt infirmitate, orandũ eis sit; id non modo sine intermissione, oportet enim semper orare, ait Dominus, sed etiã ita studiose, ac deuote agere debent, vt, et Deo, et Ecclesiæ satisfaciãt: quare hortamur omnes et singulos nostræ vrbis, et diœcesis ecclesiasticos homines, vt, cum eiusmodi precum canonicarum officiũ eis priuatim persoluendum est, ne deambulando, vel aliud agendo, id præstent; sed in locum, precationi aptum, se recipiant, vt animo, qui deambulationibus, et aliarum rerum actionibus distrahi quandoque solet, se colligentes, et pietatis studio accensi, orent spiritu, orẽt pariter et mente; quodq. ore psallunt, item spiritu psallant, et mente in cõspectũ Domini, a quo vberrimum huius orationis fructum capient. Heb. 5

HAEC de vita, et honestate clericorum constituta

tuta sint. Cui constitutioni si quis non paruerit, is, aut salutari pœnitentia, aut carcere, aut pecunia in pios vsus eroganda, aut suspẽsione ab ordinum munere, aut exilio, aut grauiori pœna pro culpæ modo plectatur arbitratu Episcopi. Quamobrem parochorum cura sit, clericalis ordinis homines, qui intra parochiæ suæ fines habitant, id monere, vt quæ de clericalis vitæ moderatione hoc decreto sancita sunt, illi præstent. Quòd si semel, iterum, ac tertio quispiam monitus, in vitæ clericalis disciplina, atque officio esse noluerit; illum Episcopo ipsi denũcient; vt eundem, in vitæ suæ modo grauiter peccantem, debitis pœnis afficiant.

DE CANONICIS, ET PRAEBENDARIIS.

NONNVLLA decreta cõmuniter vniuersis diœcesis nostræ sacerdotibus, et clericis supra præscripsimus ad illorum mores, et vitam ea ratione conformandam, quæ clericali disciplinæ conueniat; iam vero sigillatim aliqua constituemus, quibus præcipua canonicorum,

nicorum, et præbendariorum officia continentur.

Illud igitur in primis eos, qui in noſtra cathedrali, in alijsq. huius vrbis, et noſtræ dioecesis eccleſsijs canonici ſunt, monemus, vt vitæ canonicalis præſcriptam rationem teneant. cum enim canonici ſint, ita in omni canonicalis diſciplinæ officio eos agere oportet, vt canonice, nempe canonum legibus, quæ ad ipſorum vitæ inſtitutum pertinent, et ſynodalium harum conſtitutionum rationi congruenter viuant, id maxime ſtudētes, vt in conſpectu Dei omnipotentis, puro corde, et caſto corpore miniſtrent.

QVONIAM autem eorum eſt, diuinas laudes certis horis in eccleſia celebrare, quo omnia maiori cum pietate, et grauitatis ſtudio gerātur, hæc ſtatuenda cenſuimus.

Nemo, vel canonicus, vel præbēdarius, vel alius quiuis clericus, intus in eccleſia pileum ferat; ſed ſi forte illum pluuio tempore, aut alia cauſa per viam tulerit, vbi primū in eccleſiam ingreſſus eſt, omnino deponat.

In eccleſiam autem ingreſſus, ad ſacræ Eu-

chari-

chariſtiæ altare primò accedat; ibiq. genu vtroque flexo, Dominum pie, et religioſe veneretur, atque adoret.

Cum vel Miſſa maior, vel alia diuinarum laudum, precumq. officia celebranda ſunt; et canonici, et præbendarij, et reliqui clerici, qui beneficiati dicuntur, in ſacriſtiam cōueniant, vbi omnes, ſuperpelliceo induti, recte, atque ordine Chorum ingrediantur.

Quo in loco ordine, in ſua quiſque ſede; ſedeant, ſtent, genua flectant, caput aperiāt; demittant, ceteraq. agant, vt officij, dieiq. feſti ratio poſtulat. Si cuius autem, qui ſuperiorem locum tenet, ſedes vacat, niſi ea vel Archidiaconi, vel Præpoſiti ſit, ab alio, qui inferiori loco ſedet, occupetur; vt omnibus decore, propeq. iunctis, nō diſcrepans ſit vocum ſonus. Cum vero is, qui locum ſuperiorem tenet, aduenerit, illius ſedis locum ei cedat.

CANONICI, cum ſuperpelliceo induti ſunt, tum ſemper Almutiam, quod eſt canonicorum inſigne, ferant: idq. ipſum Præbendarij faciant, quorum Almutias a canonicalibus diſtin

distinctas esse volumus.

DIVINAS horarum laudes, clara voce, cum timore, et tremore, tamquam in Domini conspectu, omnes concinant; idq. non cursim, non perturbate, non oscitãter; sed distincte, et grauiter agant, summaq. cum animi attẽtione, ac pietate; ne quis diuinam execrationem in se suscipiat: Scriptum est enim, Maledictus homo, qui fecerit opus Dei negligenter.

Ne vagentur in Choro, neue locũ mutent.

Neue in ipso Choro, qui locus ad commune diuinarum laudum officium dicatus est, quisquam priuatim officium dicat.

Ne quis item litteras, aliaue scripta, aut libros legat, a re, quæ geritur, alienos.

In Choro denique ne strepitus, ne clamores fiant, ne risus, neue indecori gestus, ac ne sermones quidem, colloquiaue.

Cum e choro egrediendum est, ordine procedentes, in sacristiã redeant, vbi, nullo strepitu, se superpelliceo exuant.

NEC vero, dum diuina officia celebrantur, e Choro quisquam eorum exeat, nisi iusta, et

Hoc etiam [illegible] in Concilio Prov. Neap. an: 1699. sub Card. Cantelmo tit. 2° cap. 1. num. 8. pag: 36.

necessaria de causa, tumq. a Chori præfecto venia petita.

Reliqua itẽ, quæ in nostro visitationis munere de diuinis officijs, et cathedralis nostræ ecclesiæ, et reliquarum item collegiatarũ ecclesiarum canonicis, alijsue ministris, vel generatim, vel sigillatim a nobis præscripta sunt, ea diligenter, atque inuiolatè obseruari hoc decreto statuimus.

QVI contra hæc, atque adeo illa, quæ de diuinorum officiorum cultu cõstituimus, quicquam admiserit; is illius diei distributionibus, vt synodali etiam antiqua huius ecclesiæ constitutione sancitum est, tamquã absens, mulctetur, alijsq. pœnis arbitratu nostro, Vicarijue nostri.

OFFICIVM autem Punctatorum sit, nõn solũ eos notare, qui sacras horas, et diuina officia non obierint, sed qui etiam in Choro quicquam cõtra fecerint, atque his, et illis visitationis nostræ constitutionibus præscriptum est. Qua in re ij, non metu cuiusquã, nõ spe, non amore, non odio moueantur: sed fidẽ, ac diligentiam, quam debent, sedulò, accurateq.

rateq. præſtent. Quod ſi in ſuo obeũdo mu nere vllam vel negligentiam, vel culpam cõtraxerint; pœnis afficientur, quæ cõtra eos conſtitutæ ſunt viſitationis noſtræ decretis.

QVO tempore vel Miſſa ſolemnis celebratur, vel diuini officij preces horariæ in Choro di cuntur, tunc ne Capitulũ canonici habeãt.

Cum autem illud habebunt; eam rationẽ ineant, vt ſine contentione, ſine clamoribus, moderate, grauiter, atque ex ordine quiſque ſententiam ſuam dicat: Eaq. communi cõſilio decernantur, quæ et Dei cultum magis, ac magis illuſtrent, et quæ illorum ordinem maxime deceant. Quamobrem cum Capitulum habebunt, primum orationem, quæ eſt de ſpiritu ſancto, pie, ſancteq. pronunciẽt; tum priuſquam quicquam aliud, quod ad rerum temporalium curã, ac procuratio nem pertinet, agant, gerantue, aliquã tractationis rationem aggrediantur, quæ tota in re bus ſpiritualibus poſita ſit; Videantq. item, quæ a nobis his, et alijs viſitationis noſtræ cõſtitutionibus de diuinorum officiorũ ratione præſcripta ſunt, ea ſeruentur; an ſi qui itẽ

errores in sacrarum cœrimoniarum, quæ in diuinis ipsis officijs adhibendæ sunt, ritu cõmittantur; tũ alia, quæ ab ipsis agi oporteat.

DE PAROCHIS, PLEBANISVE, ET ALIIS ANIMARVM CVRATORIBVS.

PAROCHI, reliquiue animarum curatores, quàm graue onus sustineãt, sæpe meminisse debent, vt pro cura, quam susceperunt, saluti animarũ, quas Christus Dominus noster precioso sanguine suo redemit, consulant. Quò igitur rectius, ac facilius, Deo iuuante, muneris sui partes exequantur; nos præter ea, quæ varijs harum constitutionum titulis expressa, ad eos attinent, hæc etiam, quasi præcipua quædam capita, illis proposita esse volumus, vt obseruent diligenter.

VT puerorum animi, dum tenera, ac flexibilis est eorum ætas, ad christianam doctrinam informentur, ijsq. morum præceptis, atque institutis imbuãtur, quæ christiana religio postulat; nos Tridentini concilij iussum exequi cupientes, parochis omnibus, et singulis iu- Sess. 24 c. 4.

bemus,

bemus, vt singulis dominicis, et alijs festis diebus, qui ecclesiæ præcepto coli solẽt, fidei christianæ rudimẽta pueros doceant; eosq. religione in primis erga Deum, tum erga parentes pietatis, atque obedientiæ præceptis instruant. Quam ob causam a prandio, quadam constituta hora, campanæ sono dato, illos, ad suam quisque parochialem ecclesiam conuocandos curet.

Quo autem studiosius id præstent, doctrinæ christianæ sodalitatẽ, quæ ipsos in eo munere adiuuet, singuli in suis parochijs instituant.

Quibus vero locis ea institui non poterit, duos, tresue saltem homines deligant, aucto ritate grauiores, qui pro christiana pietate id sollicitudinis suscipiant, vt pueros ad huius doctrinæ institutionem inducant.

Quibus fidei initijs tradendis, libellus adhibeatur, nostra auctoritate comprobatus.

PAROCHI, dominicis, ac festis diebus, qui ecclesiæ præcepto coluntur, ne ad populũ concionem sacram habere omittant, de ijs præsertim, quæ ad fidei christianæ instituta, et

ad

ad optimam morum disciplinam pertinent. Qua in re perficienda, cōcilij Tridentini decreta, pręsertim, quę de christiani populi moribus sancita sunt, et has item nostras constitutiones quàm sæpissime populo īculcēt.

Omnes denique ita afficere studeāt, vt propositis sempiterni supplicij pœnis, a male agendo deterreant; interdumq. expositis beatæ vitæ præmijs, ad virtutes, in primis vero ad Dei, ac proximi pietatem inflamment; tū vero doceant, quod sit cuiusque propriū officium, patris, filij, viri, vxoris, domini, serui, et reliquorum denique cuiusuis ætatis, ac generis hominum.

Quòd si ingenio minus valent, nec memoria item; id subsidij sibi comparēt, vt de scripto dicant aliquā Catechismi Romani partē, vulgari sermone expressam, quæ ad illud cohortandi genus pertineat.

EA cura vniuscuiusque parochi sit, fideles cum sæpe monere, vt sibi significetur, cum primū eorū quisquam in morbum inciderit; tum etiam hortari, vt quis æger pœnitētiæ, ac sanctissimæ Eucharistiæ sacramētis, animæ suæ

primum

primum ſalutaria remedia quærat, tum medicũ, qui corpori medeatur, poſtea adhibeat.

Parochus autem, de illius morbo certior factus, ipſum adeat, eidemq. cõſilia det, quæ ad eius animæ ſalutẽ neceſſaria ſunt. Deinde illũ, dum æger eſt, Miſſæ ſacrificijs, alijsq. ſanctis precibus, adiuuare ſtudeat.

PAROCHVS cum vel ſacroſanctam Euchariſtiam, vel extremæ vnctionis ſanctum oleũ ad ægrum defert, in via ſeptẽ pſalmos ex animo, pieq. dicat, vel alias religioſas preces.

VT nullum pietatis officium parochus in eorum, qui ſuæ curæ cõmiſsi ſunt, ſalute adiuuanda prætermittat; id, audita cuiuſpiã, qui in ſua parochia vixit, morte, præſtet, vt ſtatim pſalmum, De profundis, ſancte dicat; et orationem, ſeu collectã, ad hoc officii genus pertinentem, omni animi pietate ad Deum habeat, vt illius animæ miſereatur, cuius etiã ipſe in grauiſsimo illo Dei iudicio rationem eſt redditurus.

INEVNTE quatrageſima parochi, et reliqui animarum curatores populum moneant, ac ſedulo hortentur, vt inimicitiis, et ſimulta-

tibus

tibus depositis, concubinis potissimum relictis, abiectaq. omni male agendi consuetudine, se et ieiuniis, et sanctis precibus, ac ceteris pietatis officiis ita parent, vt quamprimum rite confessi, tum post in paschæ celebritate, nuptiali veste vestiti, et charitatis, christianæq. pietatis luce fulgentes, atque omni puræ mentis præparatione Iesu Christi Domini corpus, et sanguinem non ad iudicium, sed ad salutis remedium sumant. In hoc autem cohortationis officio Innocentii Tertii Pontificis Maximi decretum, quod ea de re cōcilio Lateranensi edidit, fidelibus grauiter denuncient.

CVM autem illa Domini sententia, Speculatorem dedi te domui Israel, summam vim habeat; nec vero nos omnia propriis oculis lustrare possimus; id vnicuique sacerdoti Plebano curæ damus, vt ecclesias omnes, atque oratoria, quæ in Plebaniæ suæ finibus sunt, singulis mensibus diligēter visitet, tum videat, an aliquid sit, quod a nobis corrigi, ac emendari debeat: quodq. tale compererit, id ad nos, aut Vicarium nostrum fideli-

ter deferat.

Inquirat autem in primis, qualis ſit eccleſiarum ſtatus, qui earum cultus, quæ ſacerdotum vita, et quale clericorum inferioris ordinis ſtudium: deinde hoc etiam prudenter, atque accurate inueſtiget, an populus ambulet in vijs Domini; vt nos ab eo certiores facti, paternam curam, quam debemus, ijs omnibus præſtemus.

DILIGENTER vero parochi, in ſuis quisque parochijs videant, an pauperes, et in ijs maxime an viduæ, quæ, vt inquit Apoſtolus, vere viduæ ſunt, hoc eſt Deum pie, et ſancte colentes; an virgines, præſertim nubiles ſint, quarum pudicitiæ periculum aliquod immineat; an pupilli, qui a tutoribus negligenter ad pietatem chriſtianam erudiantur; an alij denique homines, temporali, vel ſpirituali etiam miſericordia indigentes; quibus cum ipſi pro facultatum ſuarum modo opem ferre, tum alios exēplo, cohortationibusq. ſuis ad id pietatis officium inflammare ſtudeant.

Præcipue vero de ijs omnibus Epiſcopum certiorem faciant, ne in eiusmodi generis ho

minum inopia,fama,vitaq. tuenda,eius, qui communis illorum parens est,partes desiderentur.

QVOD veteri huius ecclesiæ decreto sancitũ est,id hac etiam cõstitutione communimus, vt qui parochiæ suæ incolæ moriuntur,eorũ parochi nomina,cognomina,annum item,et diem notent, quo illorum quisque mortem obit, vt de baptizatis, et ijs, qui matrimonio iunguntur,præscriptum est.

SI qui vero in suam parochiam aliũde habitatum venerint, eorũ mores,vitam obseruent; deq. eorum orthodoxa fide, et sacramentorum perceptione, deq. mulieribus, quas secum habuerint,an matrimonii, cognationis ve vinculo vere coniunctæ sint, a reliquis, qui viciniores illius sunt,parochiæ incolis,ac curate cognoscent.

SINGVLIS hebdomadis, die lunæ, in quem si cuiusquam Sãcti celebritas,ecclesiæ præcepto colẽda,inciderit,tunc postridie illius diei, omnes,et singuli presbyteri, curam animarũ in nostra diœcesi habentes, qui intra vnius Plebis, vel Archipresbyteratus fines habi-

tant,

tant,modo in vnam, modo in aliã illius Plebis,regionisue parochialem ecclesiam conueniant, in qua vniuersi Missam conuentualem pro mortuis solemni ritu cantent; tum circa cæmiterium,consuetis,quæ pro eisdem dicuntur, sacris orationibus, processiones obeant.

In conueniendo autem hæc ordinis ratio seruetur, vt primum in ecclesiam,quæ principem in Plebanatu, regioneue locum obtinet, deinde in reliquas, quæ ad id officij genus aptiores videbuntur, cõueniant,idq. in orbem eodem ordine semper faciant.

Qua autem in ecclesia conuentum habebunt, præter illam, quam vniuersi Missam pro mortuis solemniter canent,reliqui etiam singuli Missæ sacrum,nisi ante in propria parochia fecerint,ibidem facient. Tum præterea vnus, qui ad concionandi munus aptior videbitur, concionem ad populum de iis potissimum rebus habeat, quæ et ad animarũ salutem, et ad conformandos ipsius populi mores spectent.

RECTOR autem Ecclesiæ, in qua eiusmodi

cōgregatio futura eſt,die dominico,qui proxime illam antecedit,eius habendæ tempus populo denunciet,eumq. hortetur,vt illo ipſo die ad eccleſiam conueniat, vt precationum,quæ et pro viuis,et pro mortuis ibi fiēt, particeps ſit; ac indulgentiam quatraginta dierum conſequatur, quam ijs concedimus, qui diuinis illis officijs intererunt.

EO ipſo die, poſteaquam ea, quæ ſacerdotalis ordinis homines decet, charitate, ac modeſtia cibum ij ſacerdotes vna ceperint, conferant inter ſe, quæ ad boni parochi officium, et ad curam animarum recte gerendam pertinent: vel aliquam Catechiſmi Romani lectionem tractent: vel quæſtiones aliquas de conſcientiæ caſibus explicēt; vel huius diœceſanæ ſynodi partem aliquam, eam præſertim,quæ eſt de vita,et honeſtate clericorum, tum illam, quæ ad parochos potiſſimum attinet, ſæpe,ac ſtodioſe legant.

HOC ipſum, quod diœceſanis ſacerdotibus in habēdo eiuſmodi conuentu præſcripſimus, omnes,et ſinguli parochi,et reliqui ſacerdotes,qui in vrbe animarum curam gerunt, re

ipſa

ipſa præſtent: idq. in ſua quiſque eccleſia viciſſim efficiat, ſeruata illa ordinis ratione.

Idem præterea in oppidis noſtræ diœceſis inſignibus Archipresbyter, et animarum curatores, et canonici, et alii quicunque ſacerdotes, qui in illis oppidis habitant, omnino obſeruent.

IN ijs item ſacerdotalibus conuentibus vnuſquiſque referat, ſi crimen vllum in parochia ſua commiſſum eſt, quod publicum ſit, ac diuulgatum, ex quo vel periculi aliquid immineat, vel offenſionis, ſcandaliue exemplũ exiſtat ciuibus, aut oppidanis, pagiue incolis. Quo quidem crimine in cõſultationem propoſito, inter ſe deliberent, atque adeo inquirant, an remedium a ſe vllum afferri poſſit: quod ſi ipſi, per ſe nequeunt; de tota re clam nos ſtatim certiores faciant, vt, ei rei, quantũ in nobis eſt, paterna cura, et pietate conſulamus. Quæ vero crimina occulta ſunt, ea cũ illorum quiſquam clam nouerit; ne ab ipſo, qui ita ſcierit, cum illa ceteris lateant, vllo quouis modo pateſiant.

QVAM ſe: re: Pius Quartus conſtitutionem

edidit

edidit ad tollendam certã ſimoniacæ prauitatis ſpeciem, quam beneficiorum confidentiam vocant, ea tum ſingulis diœceſanis ſynodis, tum quotannis etiam in vrbe Placentia; et in celebrioribus noſtræ diœceſis oppidis, ſemel in quatrageſima, iterum in Aduentu, a parochis promulgetur.

NEC vero parochi vrbani id etiã officij omittant pro ſuæ curæ ſtudio, vt religioſe, pieq. aliquando admoneant, atque hortentur eos parochiæ ſuæ incolas, qui rus proficiſci ſæpius ſolent; vt feſtis diebus illis ſolemnibus, nempe die natali Domini, in Quatrageſima, et hebdomada ſancta potiſsimũ, Paſchæ tempore, Aſcenſionis Domini die, in celebritate corporis Chriſti, in die Pentecoſtes, ruri non habitent, ſed in vrbe, atque in frequẽtioribus oppidis; vbi a ruſticatione feriati, ſacris, et diuinis officijs interſint; de verbo Dei conciones audiant, ceteraq. chriſtianæ pietatis munera præſtẽt, quæ ab vnoquoque chriſtiano homine debita, ſolemnes, et ſtati illi dies maxime requirunt. Id autem parochi cum multis et religionis, et pietatis chri-

ſtianæ

ſtianæ rationibus perſuadere eis ſtudeant, tũ conciliari Agathenſis ſacræ ſynodi canonē, quo illis ſolemnibus diebus chriſtianos homines a parochia ſua abeſſe vetitum eſt.

DE SACERDOTIBVS SIMPLICIBVS, ET ALIIS CLERICIS INFERIORIS ORDINIS.

SACERDOTES ſimplices, et reliqui inferioris ordinis clerici cum in Dei militiā adſcripti ſunt, hoc etiam ſibi propoſitum habeāt, vt omnibus in rebus gloriam Dei quærant, illiq. in ſanctitate, et iuſtitia ſeruiant: tum præterea cetera agant, atque obſeruent, quæ vitæ clericalis ratio, canonum iure, et his noſtris conſtitutionibus, vniuerſo noſtro clero præſcripta, poſtulat.

IIS præterea ſimplicibus ſacerdotibus, et clericis inferioribus iubemus, vt in ijs feſtis ſolēnibus diebus, natali ſcilicet die Domini, in Epiphania, die Purificationis, die dominico Paſsionis, in celebritate et Paſchæ reſurrectionis, et Aſcenſionis, et Pentecoſtes, et Sanctiſsimæ Trinitatis, et Corporis Chriſti Domini,

mini, in Annunciatione item, et Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, die etiam festo Sãctorum Apostolorum Petri, et Pauli; tum festo denique die Sanctorum omnium, ipsi omnes, et singuli in parochialem ecclesiam, intra cuius fines habitant, vel cappellam, beneficiumue aliquod, aut præbendã habent, ad Missam maiorem, et Vesperas celebrandas conueniant, idq. ita, vt veste talari, et superpelliceo induti sint.

QVICVNQVE ijs ipsis diebus, quibus huius decreti auctoritate interesse debent, id facere omiserint, ij pro modo contumaciæ pœnis plectentur nostro, Vicarijue nostri arbitratu.

Si qui vero clerici inferioris ordinis sunt, qui a nobis certæ ecclesiæ adscripti sunt, in qua functiones obeant; in ea illas tali pietate, quæ illorum instituto conueniat, ita præstent, vt digni habeantur, qui deinceps altiorem gradum assecuti, sanctæ Dei ecclesiæ inseruiant. Alioqui non alius eisdem ordo ante conferetur, quam testimonium, fidemq; nobis aut Vicario nostro attulerint, se in ecclesia,

clesia, cui adscripti sunt, pie, ac diligēter præstitisse præscriptas sibi functiones.

DE · RESIDENTIA.

QVI curam animarum gerunt, in ecclesiæ, quæ sibi concredita est, statione, et paterna quadam vigilantia manere debent, tāquàm de ouibus, fidei suæ commissis, rationem pastori summo, et pastorū principi Saluatori nostro reddituri: quare nemo, qui vel ecclesiam, vel beneficium obtinet, cui animarum cura adiuncta est, ab ea ecclesia, eoue beneficio absit arbitratu suo, sed normam, quam Tridentina Synodus præscripsit, omnino sequatur. Quam si quis violare, vel quicquam contrafacere audebit, eum Episcopus censuris, debitisq. pœnis afficiet, vt eiusdem concilij decreto grauiter sancitum est.

Eorum vero, qui in ecclesijs suis non resident, nomina Vicarij foranei, Plebani item, tum sacerdos is, qui propius abest ab ecclesia cuiusquam non residentis, ad Epi-

ſcopum quamprimum deferant. Quod ſi decreto huic noſtro non paruerint; vt contumaciæ rei pœna plectentur eiuſdem arbitratu.

Reſidere autem quis non intelligatur, niſi aut in ædibus, parochiali eccleſiæ cõiunctis, aut ſi tales eccleſia nõ habet, intra parochiæ fines, aut alibi perpetuo habitet, non longe tamen ab eccleſia, ſibi commiſſa, loco ad animarum curam gerendam accõmodato, idq. iudicio Epiſcopi, ſpectata in primis loci vicinitate, et gregis commoditate. Qui hanc reſidendi rationem non ſeruauerit; is in abſentibus cenſeatur.

NE ſacris decretis, quorum auctoritate abſentes ad reſidẽdum reuocantur, fraus vlla fiat, ab ijs præſertim, qui pœnis ad reſidentiam euocati, ſe primo quidem parere velle oſtendunt, aliquoq. temporis ſpatio in eccleſiæ ſibi commiſſæ ſtatione manent; poſt autem nulla nec iuſta, nec neceſſaria cauſa inde, grege relicto, diſcedunt. Iſtorum igitur fraudi, et ſimulato conſilio nos pro paſtorali noſtra cura occurrere volẽtes, hoc decreto ſancimus,

cimus, vt si quis hoc admiserit, perinde habeatur, ac cõtumax, qui monitus, nõ paruerit, neque vocatus ad ecclesiam suam venerit, cum illud præsertim iure cautum sit, vt qui non manserit, is venisse nõ dicatur. quare cõtra hunc ita agatur, vt et ecclesia, quam obtinet, et fructibus eius priuetur, alijsq. pœnis mulctetur, sacrorum canonum iure, et conciliorum auctoritate statutis. idq. nulla alia requisitione facienda, modo illum discessisse, et ab ecclesia sua abesse constiterit, tum decreta et affixa valuis ecclesiæ citationis schedula, ad vidẽdum se priuari, vel alias puniri, mulctariue.

QVICVMQVE autem sacerdos ecclesiæ, sibi commissæ, curam gerere, aut in Præbendæ suæ cappella Missæ sacrum facere debet; ne id oneris, negotijq. suscipiat, vt, sua relicta ecclesia, alienam curet, administret ue; aut mercede conductus, relicto item præbendæ suæ altari, in quo eũ Missam celebrare oportet, alienæ cappellæ, aut altari inseruiat.

REGVLARES cum in religionem se Deo dicarint, eos hortamur, atque obsecramus in Domino, vt instituti sui memores, ad omne religiosæ virtutis officium indies longius progredientes, tamquam filij lucis ambulent, exemplumq. afferant fidelibus, vt ait Apostolus, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate: nobis vero in agro Domini excolendo non otiosos se præstent, sed tamquam fideles operarios, ad messem hanc missos, qui nos opera sua adiuuent, vt quos Christus Iesus Dominus, vitę magister, e morte, atque e Satanæ faucibus eripuit, eos in curam, fidemq. nostram traditos, quasi purum triticum, congregemus in horrea cœlestia.

ILLVD præcipue eosdem monemus, vt quod sacrosancti Tridentini concilij decreto de le-
Sess. 5 ctione sacræ scripturæ in conuentibus Re-
C. 1. gularium instituenda sancitum est, id re ipsa præstandum diligenter curent: qua in re si Abbates, vel qui Monasterio præsunt, ne-

gligentes

gligentes erunt; a nobis eiuſdem concilij auctoritate opportunis remedijs compellendi erunt.

DE MONIALIBVS.

MONIALES attendant, et videant vocationem ſuam. cœleſti enim ſponſo Chriſto dicatæ, cum ſeſe in Monaſteria abdiderint, hoc ſæpe reputent, ſe nihil habere cum hoc ſæculo nequam, in quo quicquid eſt, concupiſcentia carnis eſt, et concupiſcentia oculorum, et ſuperbia vitæ. quæ tria vitia, votis religioſe nuncupatis, abiecerunt, iam mundo abſconditæ, id quod veli nigri, quo velantur, indicat ornatus; ideo ſanctiſſimi inſtituti ſui memores, et ſæcularium, atque inanium rerum conſuetudine, aſpectuq. longe abſint, quo liberius in Dei, cui ſe conſecrarunt, contemplatione conquieſcant.

Vt igitur quæ curæ, ac iuriſdictioni noſtræ ſubiectæ ſunt Moniales, ſuæ vocationis, et profeſſionis debitum officium in memoriam quàm ſæpiſſime reuocent, cõtineantq.

se in sui ordinis, atque regulæ institutis; id illis synodali hoc decreto in virtute sãctæ obedientiæ præcipimus, vt quæcunque in visitationis nostræ munere eis præscripsimus, ea omnia, inuiolate planè obseruẽt: atque adeo frequenter legant, vt non solùm illa animo comprehendere, sed re ipsa exequi possint.

Regulæ autem, atque ordinis, cui adstrictæ sunt, cõstitutiones, sic itidem ab eis perpetuo legi iubemus, vt quotidie illarum caput saltem vnum ab aliqua moniali, ceteris audientibus, legatur eo ordine, vt a primo capite ad extremũ procedatur, ac deinceps ad primum caput redeatur. qua ordinis ratione seruata, nunquam huius exercitationis vsus intermittatur, quo crebriori salutarium præceptorum commemoratione ipsæ in suo obeundo munere diligentiores fiant.

Monialium vero præfectam monemus, vt ad summam, et regulæ, et nostrarum constitutionum obseruationem reliquas non minus exemplo suo accendat, quàm auctoritate compellat, illud sæpe cogitans, sibi reddẽ-

dam esse rationem iustissimo iudici errato-
rum, quæcumque vel culpa, vel negligentia
sua monialis vlla admiserit.

Illas præterea duas salutares cõstitutiones, a Sanctissimo Pontifice, Pio Quinto de clausura monialium editas, quas ad ipsarum vtilitatem vulgari sermone explicandas curabimus, quotannis semel, iterum, atque adeo sæpius in Capitulo publice legi iubemus; vt intra monasterij septa quàm diligentissime se contineant, propositis tã grauibus pœnis.

QVONIAM sacra Tridentina synodus excõmunicationis pœnã ijs constituit, qui puellas, vel suas, vel alienas, inuitas cogunt Sacrũ monialium habitum suscipere, aut religionẽ profiteri; ideo ne quis illius culpæ reus fiat, eoq. anathematis vinculo irretiatur; id parochis nostris negotij, curæq. damus, vt ea constitutio quotannis sæpius, dum Missæ sacrum fit, ab ipsis frequenti populo recitetur. Sess. 25 c. 18

PVELLAE virgines quo die monachalem habitum solemni ritu suscipiẽt, ne, id quod praua quadam cõsuetudine fieri solet, vestes sericas, aliasue preciosas, exquisito artificio cõ

textas,

textas,induant. non enim hoc decet, vt quæ ſponte,ac voluntate omnem mundi luxum abiecit,Deoq. in religionem ſe dicauit; iam rerum, quæ ad delicias, ornatumq. mundanum pertinent,plane oblita, poſt, quo tempore non debet,ſumptuoſis veſtibus induta, eas non ſine lacrymis in mentem tum maxime reuocet, cum illæ ipſæ ex eius animo, ac memoria excidere deberent.

VT Tridentinæ cõſtitutioni,quæ eſt de Reformatione Regularium fraus nulla fiat; illud, pœna anathematis et dantibus, et recipientibus propoſita, interdicimus, ne moniales a puellæ,quæ regularem habitum in earũ monaſterio ſuſceptura eſt,parentibus, vel cõſanguineis,vel curatoribus,nec vero,ſi ijdẽ ſponſionem fecerint, ab alijs pecuniã mutuo, aut depoſiti,alioue quouis nomine ſumant, ante quam illa,votis nuncupatis,profeſsionem regularem confecerit.

NE cuiusuis ordinis ſacerdos in Monialium ecclesijs Miſſæ ſacrum faciat,niſi impetrata ab eo,qui Monialium curæ præeſt,eius rei ſcripta facultate.

EXCOM-

EXCOMMVnicationis, alijsq. pœnis constitutis, interdicimus omnibus clericis, necnon laicis maribus, et fœminis, ne ad monialium Monasteria accedant, et cum ipsis monialibus colloquantur sine nostro, aut nostri Vicarij permissu. A quo tamẽ edicto excipi volumus patres, et matres, modo ne ij cum alijs colloquium habeant, quàm cum ipsis filiabus.

DE CVLTV. ET ORNATV ECCLESIARVM.

DOMVM Dei decet sanctitudo, inquit propheta; decet etiam, id quod Lugdunensi etiam concilio Gregorius Decimus olim dixit, vt cuius in pace factus est locus, eius cultus sit debita cum veneratione pacificus, ne vbi peccatorum venia est postulanda, ibi peccandi detur occasio. Quare nos hæc de ecclesiarum cultu constituimus, quæ in vrbe, et diœcesi nostra in primis necessaria duximus. Ps. 92

NE in ecclesia laici homines de rebus prophanis, aut de ijs, quæ ad ipsam ecclesiam non

pertinent, congregationes, concilia, vel quæ parlamenta publica dicunt, habeantur.

Ne in atrijs item, et vestibulis ecclesiæ, neque in cœmiterijs, nec vero in plateis, quæ ante fores ecclesiæ sunt, pila ludatur, choreæ, stationesue fiant, aut alia spectacula agãtur, quæ digna sunt procul abijci a conspectũ tẽpli Dei.

Neue in porticu, vestibulove earum, nec vero in foribus quicquam venale proponatur, ne, etiam si quicquam sit, quod aut ad sacrificij, aut ad ipsarũ ecclesiarum vsum pertineat.

QVAE vero Lugdunensi concilio olim a Gregorio Decimo, et nuper a Summo Pontifice, Pio Quinto ad tollenda in ipsis ecclesijs colloquia, congressus, deambulationes, et ad earum cultum sancita sunt; quoniã in ijs exequendis vel maximam diligentiam adhibere debemus, id omnino decernimus, ne quis vllius ordinis homo, quouis etiam dignitatis, honorisue gradu præditus, aut genere illustris, in ecclesia ipsa, quæ domus Dei est, et domus orationis, dum Missarum sacra fiunt,

diuinæq. horariæ preces, diuinaue officia aguntur, dum sacra item concio habetur, deambulet, mutuis confabulationibus operam det, circulos habeat, negocium vllum agat, cum mulieribus, ijs præsertim, de quibus suspicio esse possit, colloquatur, aut quouis modo diuina inturbet officia; aut a sanctissimo Eucharistiæ sacramento auersus sedeat, aut irreuerenter stet. Quod si quis hæc, quæ christianæ religioni minime conueniunt, et longe aliena a viro pio, admiserit; pœnis, eadem constitutione latis, tum alijs etiam, pro personarum ratione, et culpæ modo afficietur.

Canonici vero, ecclesiarumue rectores, et alij item, ad quos spectat, in illius curæ munere obeundo neglig ētes, aut contumaces pœnis mulctentur, quas illi eadem summi Pontificis sanctione subeunt. Grauissime autem ad eiusdem summi Pontificis in ipsa Bulla præscriptum corripiendi a nobis erunt Regulares, si in ijs ipsis exequendis negligentes se ostendent.

Et quoniam pro nostra pastorali cura, summo desiderio tenemur, vt debitus ecclesijs

cultus tribuatur; id parochis nostris edicimus, ac iubemus, vt illa ipsa summi Pontificis Bulla quàm sæpissime ab ipsis promulgetur.

Ne præterea quisquam Altaribus, Baptismi fontibus, vel aquæ benedictæ adhæreat.

Ne item cum venaticis, vel cuiusuis generis canibus, aut volucribus in ecclesiam cuiquam ingredi fas sit. Neque item hastam, sclopetos, balistas, arcus, aliaue id genus in eam quis inferat. idq. a parochis sæpe populum moneri iubemus.

Armentorum quoque, iumentorum, et cuiusuis generis animalium stabula procul sint ab ecclesia, eiusue cœmiterio, qui locus etiam sacer, et religiosus est.

Neque vllo loco, qui ecclesiæ, eiusue cœmiterio continens sit, custodiatur, vel in eum res vlla abijciatur, cuius grauis, teterq. odor sit.

Ne mendicos item, dum vel Missæ sacra fiunt, vel diuina officia celebrantur, vel sacra concio habetur, per ecclesiam quæritandis eleemosynis vagari permittatur, vt san-

ctiſſimi Pontificis Pij Quinti ſanctione cõſtitutum eſt.

QVAE eccleſia eo cenſu, iiſq. fructibus eſt, qui non modo ad ſacerdotis, aut clerici, illam obtinentis, vitam ſuſtentandam, ſed ad illam ipſam, eiuſq. ædes reſtituẽdas ſatis eſſe poſſint, illa, tũ eius domicilia ſarta tectaq. ſint. Quã rem ſi quiſquam, qui eiuſmodi eccleſiæ curam, adminiſtrationẽue gerit, præſtare omiſerit, aut neglexerit, duplo mulctetur; ita vt ſumptibus, ad illam inſtaurationem neceſſarijs, ſatisfaciat; et tantumdem præterea pœnæ ſoluat.

DILIGENtiſsime quiſque curet, vt ne in eccleſia, quam obtinet, quicquam incultum ſit, ſordibusue obſoleſcat; ſed omnia quaſi nitore quodam, et religioſo cultu ſplendeat.

In primis Altaria pura, mũdaq. ſint, ideoq. peractis Miſſæ ſacris panno aliquo lineo ſternantur, ne puluere, aliaue ſorde inquinẽtur. Altare autem maius, quibus in eccleſijs per facultates, et commode fieri poteſt, vmbella decenter contegatur.

Lintea item, et pallia, nitida ſint, et mũda,

quibus Altaria ipsa sternuntur, atque ornantur.

Calices præterea, vrceoli, peluiculæ, Cruces, thuribula, candelabra, sacra denique omnia instrumenta, et vasa, ab omni sorde pura sint, præsertim vero corporalia, et purificatoria.

Vmbella etiam, qua sanctissimum Eucharistiæ sacramentum contegitur, et tabernaculum, quo asseruatur, ne puluere, sordidisue maculis inquinata sint.

Libri præterea, vt de ritu baptizãdi, alijsq. sacramentorum cærimonijs, tum Missale, Breuiarium, aliiq. præterea codices sint, in quibus et baptizatorũ, et nuptias contrahentiũ nomina describuntur. ijq. tales sint, qui nõ situ, neque vllo squallore obsordescant.

IN cathedrali, et reliquis item collegiatis ecclesijs, quæ vel in vrbe, vel in diœcesi nostra sũt, pro cuiusque ecclesiæ dignitate, et facultatũ modo certus quidam clericorum numerus educetur, qui sacerdotibus, Missæ sacrum facientibus, ministrẽt, vel in Choro cõcinant. Quibus clericis eã cura adhibeatur, vt optimis

mis moribus,et ecclesiasticarum rerum cœrimoniis,disciplinaq. instituantur. Vt autẽ ij possint commodius sustentari,iis pœnæ at tribuantur, quibus mulctabuntur; qui vel contumaces,vel negligentes omnino,vel aliqua in parte, his nostris constitutionibus nõ paruerint.

Ex ijs autem clericis vnus deligatur, qui natu grãdior, et moribus grauior, ecclesiam obeat,idq. curet,ne strepitus,clamorue vllus fiat,aut aliud quicquam agatur,quod impedimentum,ac molestiam afferat, dum Missæ sacrũ fit,vel diuina officia aguntur, vel dum denique sacra concio habetur.

In ijs item ecclesijs, absoluto horæ primæ diuino officio,priusquam ea verba dicãtur; Pretiosa in conspectu Domini mors Sancto rum eius; vnus e clericis, vt est vetus ecclesiæ institutum, de Martyrologij libro pronunciet,qui Martyres, quæ virgines,qui cõfessores quorum postridie eius diei officium peragitur, in Domino mortui, sempiterna fruuntur gloria.

CVM christianę pietatis rationi illud alienum

ſit,ad ornatum templorum adhiberi ea,quæ non modo religionem non excitant, ſed intuentiũ mentes facile illiciunt in fædas,turpesq. cogitationes; id propterea,ne quis ad illa ornanda periſtromatis, auleisq. vtatur, quæ obſcœnis figuris intexta ſint; neque itẽ pictas imagines, et ſigna adhibeat, quæ vel ethnicorum hominum,vel aliarum rerũ, loci ſanctitati repugnantium,formam, ac ſpeciem præ ſe ferant.

In omni præterea publicarum ſupplicatiõnũ, proceſsionumue apparatu, quæ obſcœnarum rerum ſpeciẽ oſtendunt, ea ne adhibeantur.

Cœmiteria,quæ a parietibus nuda sũt,muro circumſepiantur, ne beſtijs aditus ſit,quarum ſordibus, aut aliarum rerum fœda turpitudine, loca illa inquinentur, quæ ſancta cum ſint,ab omni labe pura eſſe debent. Populus igitur,quia,eius cauſa parata illa ſunt, parochorum aſsiduis cohortationibus ad illud efficiendum incitetur. ſiq. ſuadendi via nihil promouetur,ea eſt ineunda,vt omnino compellatur.

EST illud in christiana Republica non ferendum, vt, dum sacra fiunt, aliaq. diuina officia celebrantur, circumforanei, et nebulones eiusmodi, falsis verborum blanditijs, inanibusq. spectaculis homines in foro teneant: itaque Principes, quibus huius ciuitatis cura commissa est, id Christo Domino, et matri ecclesiæ præstent; vt id generis homines tum e foro, triuijsq. pellãtur, prohibeãturq. ne res suas isti agant, nisi peractis Missarum sacris, et absolutis Vesperarum officijs, ac nisi horæ spatio confecto, quo pueri diebus festis a prandio in ecclesiam conueniunt ad percipienda doctrinæ christianæ instituta. Hoc cum ab eis pietatis ratio postulat, tum nos, pro pastorali nostro munere illos hoc nostro synodali decreto requirimus ac vehementer etiam atque etiam hortamur in Domino.

QVONIAM noctu sæpe, Satanæ, tenebrarum principis, impulsu, quadam peccandi licentia, admitti multa solent, quæ et nefaria, et turpia sunt; idcirco sacra concio de passione Iesu Christi Domini non feria quinta cum

aduesperascit, habeatur, sed postero die cum lucescit.

SINGVLIS diebus paulo ante horam nonam, signum in vnaquaque ecclesia, campanæ sono detur, quo fideles admoniti eadem hora Iesu Christi Domini passionem omni intima mentis pietate recolant; terq. orationem Dominicam, et salutationem Angelicam ex animo pronunciantes, quatraginta dierum Indulgentiam, quam illis, ita pie precantibus, concedimus, consequantur.

CLERVS cum in aliquam ecclesiam, vel ad processiones, vel ad stationes obeundas, vel ad funus conuenerit; illud meminerit se esse in domo Dei sancta, quæ domus est orationis. quare nullus cuiusuis ordinis clericus, aut sacerdos in ecclesia deambulet, nec in cōfabulationibus, et congressibus, eo loco indignis, versetur: sed vnusquisque, aut solus, aut comitibus, sociisq. aliis adiunctis, religiosas preces Deo in causa adhibeat, quamobrem clerus vniuersus conuocatus est. Quo autem facilius id præstetur, cum primum clerus in cathedralem ecclesiam conuenerit,

Chorũ ingrediatur,eoq. loco partim in cappella sancti Alexij,partim in altera,quæ dicitur sancti Martini, partim in ea, quæ Baptisterij est,tandiu permaneat,quoad processionis munus obeatur.

DE FVNERE, ET EXEQVIIS.

QVAE pie instituta,temporum vitio intermissa sunt,in consuetudinem reuocare cupientes, de Episcopi exequiarum, quæ olim concelebrari solebant,curatione,id cõstituimus,vt,eo mortuo,cathedralis ecclesiæ Capitulũ, et reliqui clerici,tum precum officium,quod de defunctis dicitur,in funere dicant; tum Missam solemni cærimonia celebrẽt, assiduisq. aliis precationibus animam illius Deo commendent.

Supplicationibus prӕterea indictis, illud a Deo sancte, religioseq. deprecabuntur, vt orbato gregi pastorẽ det,ex cuius vitæ actionibus,et ipsi Deo gloria, et illis, qui in eiusdem cura cõquiescent, exemplum afferatur ad salutem.

IN canonici mortui funere a reliquis canonicis pro illius animæ salute Missa conuentualis celebretur; tum vnusquisque præterea canonicus, minister ue eiusdem ecclesiæ, qui sacerdos sit, Missæ itidem sacrũ pro eo faciat. Idem de Præbendarii mortui funere statuimus.

QVIBVS in ecclesiis sepulcra extructa nõ sũt, in iis mortui ne sepeliantur; sed in cœmiteriis: Si vero fideles in ipsis ecclesijs sepulturæ locum sibi dari volunt; sepulcrum vel cõmune, vel proprium, faciendum curẽt, quod opere fornicatum sit, reliquo ecclesiæ pauimento æquatum.

Miserabiles homines, quibus, hac vita perfunctis, aut nihil, aut parum reliquum est, vt suis sumptibus humari non possint, a parocho, in cuius parochialis ecclesiæ finibus mortui sunt, ipsius ecclesiæ impensis sepeliantur.

SACERDOTES, ceteriq. clerici, ad funus vocati, mortuum ad sepulturam comitentur, ita vt in ecclesiam ingrediantur.

Cum autem inde reuertentur, qua parochialis

chialis ecclesiæ cruce prælata ad funus prodierunt, eandem redeundo prosequantur recte, atque ordine. Clerus autẽ cathedralis, et collegiatæ ecclesiæ Sancti Antonini, non ad parochialem ecclesiam, sed recta in suam quisque ecclesiam redeat.

Nemo vel sacerdos, vel clericus ad funus prodeat, eidemq. intersit, nisi, vt in Choro etiam, talari veste, superpelliceoq. indutus.

ORNAMENTA, Altariũ vsui dicata, non patitur canonum ratio, vt in alios vsus aliquo modo auertatur. quare Synodali hoc decreto interdicimus, ne eorum pallia, id quod deprauata consuetudine introductum est, ad pheretri ornatum adhibeantur.

Curent igitur parochi, idq. in sua quisque parochia, vt communibus illorum, qui in ea habitant, impensis pallium ad mortuos efferendos comparetur; quod omnibus in funere gratis accommodetur.

Si vero nobiles homines serico, vel pretiosiori pallio vti voluerint, id ipsi pecunia sua curent. Quod pallium nè in posterum ad priuatum vsum vẽdicetur, sed in hoc pio officio

ficio semel adhibitum, ad illius ecclesiæ, in qua mortuus sepultus fuerit, vsum, atque ornamenta conuertatur.

EST quædam prophana, et superstitiosa quidem, quæ etiam sordidæ auaritiæ speciem præ se fert, in quibusdam nostræ diœcesis locis introducta consuetudo, vt in funere, anniuersarijsq. exequijs, sacerdos ecclesiæ, in quam mortuus illatus est, eius propinquis, alijsue, qui funeri intersunt, singulis fabæ granum, aut plura sibi, ob illius animæ salutem offerenda, tradat, quæ deinde ab eisdem, quibus tradita sunt, nūmo aliquo redimantur. Nos igitur, qui pro cura nostra pastorali rebus, prauo vsu introductis, occurrere debemus, eam consuetudinis corruptelam, quæ ab auaritiæ studio manat, hac Synodali sanctione antiquamus, atque ita abrogamus, vt id in posterum fieri nefas, ac detestabile statuamus.

Eleemosynæ autem nomine, non ea tamē exquisita ratione, quicquam tum dare liberū vnicuiq. sit, et mortui propinquo, et aliis, qui in funere adsunt.

PRO

PRO loco autem ſepulturæ, in qua quis humã-dus eſt, ſiue in eccleſia, ſiue in cœmiterio is locus ſit, ne quicquam vel exigatur, vel petatur, vel accipiatur. Si quis hoc in genere deliquerit, pœna plectatur, quæ ſimoniacis conſtituta eſt.

DE BONORVM ECCLESIASTICORVM CONSERVATIONE.

IN bonis eccleſiæ, quod patrimonium Chriſti eſt, et recuperandis, et conſeruandis, omnẽ diligentiam adhibere debemus: quare cum rebus eccleſiaſticis graue damnum ex iis locationibus importari animaduertamus, quæ vel cõſanguineis fortaſſe, in eorum gratiam, vel aliis, quadam miniſtrorum eccleſiæ negligentia, aut imprudentia factæ ſunt; nos pro noſtra paſtorali ſollicitudine, huic eccleſiaſticarum rerum detrimento conſulere volẽtes, Synodali hac conſtitutione id ſancimus, vt quæ locationes triginta annos citra, nullo ſedis Apoſtolicæ decreto, nullaq. interpoſita Ordinarii auctoritate, nec vero ſeruatis

ijs,

iis,quæ iure seruari debent, cōditionibus, in perpetuum,vel in longum tempus, quod an nos nouem excedat,factæ sunt, rescissæ sint, atque omnino nullę. Quæ vero triginta abhinc annis factæ sunt,nulla item tali iuris au ctoritate adhibita, si earum temporis spatiū confectum appareat; ne amplius renouentur, etiam si illa pactio inita esset, vt vigintinouem post annis,renouatio fiat. At liceat tamen conductori in locatione tandiu permanere, donec sibi satisfactum sit de sumpti bus, quos iure pactionis in prædiis melioribus reddendis fecit.

In ceteris autē ecclesiæ rebus, vel antiquissimo tempore,vel sedis etiam Apostolicæ decreto alienatis,atque inuestitis,quarum rerū alienationes,inuestituræq. in ecclesiæ damnum contractæ putentur, integrum agendi ius ecclesiæ conseruetur, vt iuris ratio postulat.

QVAE bonorum ecclesiasticorum locationes, et inuestituræ ea pactione contrahuntur,vt, quotiescunque qui conduxit,vel qui inuesti tus est, dum firma est locatio, aut inuestitu-

ra, ecclesiæ dederit, atque assignauerit fundum, e quo tot fructus percipi queant, quot ex ipsius ecclesiæ bonis locatis capiũtur, tũc eorum bonorum dominium in ipsum cõductorem, inuestitumue, intelligatur translatũ: hæc inita conuentio cum nihil plane distet a mera illorum bonorum alienatione, ac plane repugnans sit canonum sanctionibus, eã, nisi sedis Apostolicæ, aut Ordinarij cum debitis solemnitatibus interposita auctoritate, fieri hoc decreto vetamus. Si quis autẽ contra fecerit, neque nouem annos locatio excesserit, tum ipsa pactio; sin autem in longius tempus facta est, tota eiusmodi alienatio, cõductio, locatioue nullius sit iuris, nulliusq. momenti, tum eamdem hoc ipso decreto rescissam, irritam, ac plane nullam esse, perpetuoq. fore declaramus; tũ præterea qui hoc alienationis genus contraxerint, pœnas subeant iure canonum constitutas. Clerici itẽ, qui ita alienarint; alijs quoque pœnis arbitratu Episcopi, mulctentur. Bona vero alienata restituantur ecclesiæ, cuius ante fuerant, quàm alienarentur.

MAGNOS ob ſumptus, in eccleſiaſticis prædijs factos, a conductoribus, quibus per pactionẽ licuit, illa meliora quouis modo reddere, cogitur eccleſia, id quod diuturna conſuetudine perſpici licet, rebus ſuis, perpetuò fere carere; res enim in eo ſtatu eſt, vt quod prædium, vnde nihil, aut parũ vtilitatis, fructusq; eccleſiæ afferri poteſt, ob impenſarũ, quæ factæ ſunt, magnitudinem redimi non poſsit, niſi magno pecuniæ numero. Quare nos, pro eo ſane quod debemus, illius vtilitati proſpicere cupientes, hoc ſynodali decreto ſtatuimus, nemini licere prædia eccleſiaſtica ita locare, vt meliora fiãt, niſi ea pacta melioratio eiuſmodi ſit, ex qua poſsit eccleſiã vberiori redditu, fructibusq. perpetuo augeri: qualis eſt illa locationis conuentio de arboribus, vitibusq. conſerendis, de prædiis paluſtribus purgandis, exſiccandisue. In quo tamen locationis genere, cum de ſumptibus reſtituendis agitur, ſpectetur non ſolum, id quod iuris eſt, atque optimæ agricolarum cõſuetudinis, an tot ſumptus facti ſint; verumetiam an illis ſumptibus prædium nunc ſit

longe

lōge melius,quàm antea ſane fuerat, ita vt id ſolum, quod impenſum eſt, reddatur, et vſque eò dumtaxat,quo precioſior fundus factus eſt.

Illa vero pactio, quæ in locationibus fieri ſolet,de ædibus vel ædificandis,vel inſtaurãdis,vel amplificandis, vel ornandis, vel melioribus reddendis,irrita ſit, ac plane nulla.

Neque autem hæc locationis facultas,etiã verbis quibusuis generalibus expreſſa, vnquam permiſſa,cōceſſaue intelligatur. Quã ob cauſam nullũ itẽ ius conductori ſit, quo vel agere, vel excipere, vel retinere quicquã poſsit. immo uero qui cōduxit,ſi ſumptus aliquot ĩ ędibus melioribus reddẽdis,aut nouis conſtruendis,fecerit, reſtituere nihilominus prædium eccleſiæ,in quo illæ ſunt,compellatur, impenſis eiuſmodi nō obſtantibus,quas, inutiles,et in fraudem factas ſynodali hac cōſtitutione decernimus; Sin autẽ ex his ſumptibus iacturam patitur,id culpæ ſuæ adſcribat, vtpote cum ei locationis pactionem aliter inire non licuerit, quàm hoc decreto ſancitum eſt.

Si quis autem clericus contra huius constitutionis præscriptum fecerit, cum periurij reus censeatur, quoniam synodales constitutiones neglexerit, quibus seruandis se iurisiurãdi fide sanctè obstrinxerat; tum quinquaginta etiam aureis mulctetur; pactumq. præterea, quod contraxit, rescissum sit, atque omnino irritum.

Sin autem necessariò sumptus facti sunt, vel in muro, quo vis aquæ impediatur, extruendo, vel in ædificanda, restituendaue aliqua vili, et rustica casa, ad armentorum, boumq. vsum, ad fenumue accõmodata, vel in pistrini ædificio, ex quo verisimile sit, tantam posse vtilitatem percipi, vt non modo pecuniæ, quæ erogata est, par, verumetiã maior multo sit: tunc qui conduxit, sciente tamen, planeq. consentiente Rectore, vel Capitulo, vel alio Prælato, cui illa ecclesiasticarũ rerum administratio commissa est, liceat ea ipsa, quæ prædium ecclesiasticum a se cõductum, melius reddant, efficere; tum illã præterea inire pactionem de sumptibus, si quos eo in genere fecerit, recuperandis, aut reti-

nendis.

nendis.

Illud decernimus item, vt impensæ vtiles, atque necessariæ, quas fieri huius constitutionis auctoritate permissum est, pro rata parte pecuniæ, quæ locationis nomine debetur, quotannis conductori compensentur.

Nec vero id vllo modo pacisci liceat, vt quot quot sumptus facti erunt, ij omnes extremo locationis tempore soluantur, vel restituantur; quoniam id pactionis genus impedit, quo minus locator, aut, qui in eius locũ succedit, prædiũ ecclesiæ redimere posit.

QVICVNQVE in vrbe, diœcesiq. nostra beneficia ecclesiastica obtinent, omnibus, et singulis edicimus, vt sex post huius synodi promulgationem mensibus, omnium et singulorum bonorum mobilium, et immobilium, iurium, actionum, ad ecclesiam ipsam, cuius curationi, administrationiue præsunt, quauis ratione pertinentium, inuentarium, ratione omniuin earum rerum diligentissime cõquisita, conficiant; ita vt in eo prædiorum etiam fines, conditionesq. omnes sigillatim notentur,

Quod

Quod sane inuentarium, sedulo confe-
ctum, illo ipso sex mensium præscripto spa-
tio, fori Episcopalis Cācellario tradant. Idq.
ille asseruet, rationem de eo petenti Episco-
po redditurus. Qui autem illud confecerit,
eius inuentarij exemplum, notarij fide com-
probatum apud se in ecclesia, cui præest, re-
tineat, et asseruet diligenter.

Idq. ipsum vt hospitalium ædium, et loco-
rum piorum curatores, ad ministratoresúe
præstent, synodali hoc decreto edicimus, at-
que iubemus.

BONA cuiusuis hominis per vim, fraudemue
detinere, graue peccatum est: at quæ bona,
fructus, emolumēta, ceteraq. eius generis, vel
ecclesijs, vel pijs locis quacunque sane ratio-
ne debentur, ea illis item modis occupare, ne
farium est sane sacrilegium.

Quo igitur vehemētius ab eo grauissimo
crimine homines pœnæ magnitudine deter
reantur; maioriq. cura, ac sollicitudine re-
media salutaris pœnitentiæ quærant, qui il-
lius peccati conscij, se arctioribus pœnæ vin
culis adstrictos vident: id propterea paro-
chis

chis nostris mandamus, vt sanctissima illa Tridentini concilij constitutio, quæ contra bona ecclesiastica occupantes lata est, quotannis primo Aduentus, et Quatragesimæ dominico die, frequenti populo in Missa ab ipsis promulgetur, ac recitetur non latino solum, sed vulgari etiam sermone. Sess. 22 c. 11.

Quoniam autem res ecclesiarum quamplurimæ perierunt, scripturarum monimentis vel interceptis, vel amissis; ideo vt quæ scripta, instrumenta, aliaue eius generis, ad ecclesias quauis ratione pertinentia, diligentius cōquirantur, id etiam parochi præstent, vt sæpe, ac vehementer hortentur, propositisq. etiam ecclesiasticis censuris eundē moneant, vt si quis illa vel habet, vel occupat; aut scit alium habere, detinereue, id sibi, aut Episcopo, Vicarioue eius patefaciat.

Quod præterea de decimis soluendis concilio Tridentino grauissime decretum est; Sess. 25 c. 12 idem a parochis nostris latino, et vulgari sermone diuulgari iubemus, illo ipso dominico die, quem constitutioni contra ecclesiastica bona occupantes promulgandæ præscripsimus.

psimus.

Ne Rector ecclesiæ, parochusue arbores nouellas, virentesq. ecclesiastici fundi cædat, cædiue iubeat, nisi quæ vsui tantum necessario sibi, vel ecclesiæ restituendæ esse possunt: neque vero tunc eas cædat, quæ frugiferæ sunt, sed quæ ad fructum ferendum plane inutiles.

DE HOSPITALIBVS, ET NOTARIIS

Sess. 7 c. 15 Sess. 25 c. 8.

SACRVM Tridentinum concilium, Episcoporum studio, et curæ maxime commēdauit hospitalium ædium, locorumq. piorum administrationem. Ne igitur bona, quæ ad sustentādam pauperum inopiam, et ægrotum miseriam subleuandam, pia hominum voluntate, constituta sunt, in alios usus auertātur; id ab eorum locorum administratoribus, procuratoribusue præstari hac constitutione decernimus, vt administrationis, quā gerunt, rationem reddant, qua constare nobis possit, in quos sumptus illorum locorum fructus erogentur.

Idem quoque nos, Tridentinæ synodi au-ctoritate ijs iubemus, qui ecclesiarum fabricis præfecti sunt.

NOTARIIS, id quod Tridētino concilio sancitum est, et antiqua item ecclesiæ huius synodali constitutione decretum, edicimus, vt eorum quicumque testamenta, codicillos, aliasue tabulas, de legatis ad pias causas, rogati conscripserint, aut ab alijs scriptas, apud se habeant; tribus post huius synodi promulgationem mēsibus, id Episcopo significent. Qui vero in posterum eius generis negocia scripserint, mense postquam testatorem mortuum scierint, rem notam eidem Episcopo faciant; eamq. particulam de legatis, relictisq. rebus descriptā, auctoritateq. publica munitam, accepta debita mercede, ipsi tradant. Quæ omnia, nisi legitimum intercesserit impedimentum, fideliter præstent; alioquin pœnam excommunicationis, ex Tridentini cōcilij auctoritate, ipso iure subeant. Hancq. constitutionem nostram in singulos annos bis a parochis nostris recitari volumus populo, sibi commisso.

GRAVIS est illa Dei comminatio in pastores, qui a peccatorum tenebris, et a via, quæ ducit ad interitum, oues sibi commissas abducere non omni ratione student. Requiram enim sanguinem earum de manu pastoris, inquit Dominus. Cum igitur summo pastorum principi Deo ratio a nobis reddenda sit de hac ecclesia, cuius administrationem suscepimus; illud pastoralis nostri muneris est, eos, qui in nostram fidem, curamq. traditi sunt, si qui sunt, qui a recta, et christiana viuendi via aberrantes, in vitiorum caligine versentur, ad lucem filiorum Dei reuocare; vt ipsi etiam in iustitiæ semitis ambulantes, in regnum transferantur sempiternæ hæreditatis.

Quare nos pro nostra pastorali cura, de salute eorum solliciti, qui carnis operibus dediti, in concubinatu, in adulterioq. viuunt, hac synodali constitutione sancimus, et iubemus, a parochis, mense post huius synodi promulgationem, et quotãnis prætereà ineũ

te Quatragesima, concubinarios homines; quorum notitia habetur, nominatim, ceteros vero, qui occulti sũt, generatim in singulis parochijs moneri, proposita excommunicationis pœna, et quindecim dierum spatio; quorum quinque pro primo, tum quinque alij pro secũdo, reliqui dies quinque pro tertio, et peremptorio termino sint, concubinas eijciant, ab earumq. cõsuetudine, quæ grauissima est peccati labes, se omnino abducant. Quod si eo præscripto tempore non paruerint; volumus nominatim monitos, nominatim item excommunicari; generatim autem reliquos omnes, qui moniti etiam generatim sunt. Sin autem peccãdi libidine obcæcati, ne excommunicationis quidem pœna, ab illa libidinose viuendi consuetudine deterrentur; alijs præterea pœnis, ex canonũ iure, Tridentiniq. concilij auctoritate, tum constitutione synodali, contra eos grauiter, seuereq. agatur. Seff. 24 c. 8.

QVI excommunicationis pœna publice, manifesteq. affecti sunt; vt ij diligentius studeant, in sanctæ matris ecclesiæ gremium redire; ac

ne alij eorumdem commercio, consuetudi-
neue per imprudentiam vtantur; nos vete-
rum canonum auctoritatem secuti, id iube-
mus, vt parochi, quem Episcopus a se excom
municatum, palam denunciari iusserit, eun-
dem primo saltem cuiusq. mensis dominico
die populo excommunicatum denuncient;
atque ab ecclesiæ ingressu arceant, neque
hoc agere desistāt, quoad ipsis Episcopus si-
gnificarit, illum matri ecclesiæ reconcilia-
tum esse.

Quod si quis per annum in excommuni-
catione permanserit; parochus, in cuius pa-
rochiæ finibus ille habitat, ad Episcopū de-
ferat, vt contra illum agatur, quemadmo-
dum canonum iure, et Pontificijs sanctioni-
bus agi decretum est.

DE IVDAEIS.

CVM illud, quantum possumus, quod ad of-
ficij nostri pastoralis rationem attinet, cura
re debeamus, vt iudæis omnē adimamus oc-
casionem corrumpendi christianorum mo-
res;

res; nos et veterum canonũ decretis, et summorum Pontificum Pauli Quarti, et Sãctissimi D. N. Pij Quinti constitutionibus, quæ contra iudæos editæ sunt, innixi, hæc, diœcesana nostra synodo, de eis constituenda duximus.

Ne in ædibus, quæ ecclesijs cõtinentes sint, iudæi habitent: et si quæ eiusmodi locatæ illis sunt; inde intra certum temporis spatiũ migrare cogantur.

Ne ædes, prædiaq. ecclesiastica, iudæis locari; nec vero vasa, vestes, aliaue sacra, vel ecclesiæ vsui addicta, vendi, vel pignori dari liceat.

Ne iudæis christiani in famulatu sint; si vero in diem, vel horam eisdem operam suam locauerint; ne cibum apud eos capiant.

Christianæ mulieres ne vllo pacto iudæorum nutrices, in ædibus eorum sint.

Ne christiani ad conuiuia, nuptias, vel ad dies festos iudæorum accedant, aut, quod detestabilius est, choreas cum eisdem agant.

Neque eos interpretes, et medios, in coniũgendis matrimonijs adhibeant.

Nec

Nec vero festis diebus cum eisdem quicquam contrahant, vel emptionis, vel venditionis, vel permutationis nomine.

Ne vero quis christianus, siue vir, siue mulier, quouis morbi genere laborans, ad eius curationem medicum iudæum adhibeat.

Quare cum hęc, et reliqua, quæ de christianorum cum iudæis consuetudine sacrorum canonum iure sancita sunt, vt seruentur, hortamur in Christo Domino Principes, et Magistratus huius vrbis; tum illud etiam, vt iudæi, qui in huius ditionis finibus habitant, signum aliquod palam præ se ferant, quo internoscantur a Christi fidelibus.

DE VSVRIS.

VSVRARVM pesti, quæ in animarum perniciem latius manauit, pastorali nostra cura, quantum in nobis est, mederi cupientes, hæc sancimus.

Ne quis, ne miserabilis quidẽ vir, aut mulier, neque suo, neque item alieno, nec ecclesiæ, aut pij loci alicuius nomine, clam, vel pa-

lam vſuram exerceat.

Neque mutui etiam, depoſitiue ficto nomine; ac ne minimo quidem, ne dum maximo fœnore, in hoc peccati genere quicquam delinquat. Vſura enim eſt, quicquid, vel exiguum, præter ſortem exigitur, vel accipitur, vel pactione, aut mente concipitur ex pecunia, aliaue re, quæ aut proprio, aut ficto depoſiti, alteriusue cõtractus nomine, mutuo data eſt.

Si quis igitur, oblitus timorem Dñi, id peccati cõmiſerit, pœnã excõicationis ſubeat. Qua pœna affici volumus non ſolum eum, qui hunc deteſtabilem vſuræ quæſtum exercuerit; verũ qui interpretem, proxenetamue in ea nefaria pactione ſe interpoſuerit; tũ etiam notarium, qui rogatus eiuſmodi pactionis, contractusue ſcriptũ confecerit; vel aliquo quouis nomine adſtipulatus fuerit.

Hoc autem excommunicationis vinculo irretitos ne a quoquam alio ſacerdote confeſſore, niſi a nobis, aut Vicario noſtro abſolui liceat, tuncq. reſtitutione primum facta. Tũ vero demum ab alio confeſſore, ſi is in mor-

tis

tis articulo eſt; ita tamen, vt quicquid quæſtus eo vſuræ nomine fecerit, id primo reſtitui curet; vel idonea ſponſione caueat, illud omne reſtitutum iri.

DE TAXAE RATIONE IN FORO EPISCOPALI PRAESCRIPTA SERVANDA.

VT ab Epiſcopali foro, quantum fieri poſſit, auaritiæ labes amoueretur, cauſæq. in eo agerentur quàm minimis litigantium incōmodis; anno ſuperiori, huius ciuitatis poſtulatu, quaſdam conſtitutiones confecimus, quibus ſumptuum, et pecuniæ, quæ in Cancellarij, aliorumq. fori Epiſcopalis miniſtrorum operam erogari ſolebat, modum præſcripſimus. Eæ autem conſtitutiones ne negligantur, neue violentur; huius decreti auctoritate eaſdē firmas, ratasq. habemus; hocq. ipſo conſtitutionum ſynodalium libro contineri iubemus.

DE DECRETIS VISITATIONIS OBSERVANDIS.

QVAECVNQVE in obeundo viſitationis munere conſtitutiones ad cathedralis,

Sancti

Sancti Antonini,et aliarum Collegiatarum, parochialiumq. ecclesiarum vsum, cultum, ornatumue pertinentes,vel a nobis,vel a Vicario, nostra item auctoritate factæ sunt, in posterumue fient; eas omnes a singularum earum ecclesiarum sacerdotibus,clericis, reliquisq. ministris,ad quos illæ spectant, synodali hoc decreto inuiolate obseruari mandamus, pœna dupli proposita, alijsq. præterea pœnis arbitratu nostro. Ne vero vlla, ne minima quidem ex parte negligãtur, iubemus item ab ijs, quorum interest, easdem studiose,sæpeq. legi,tum mente,animoq. comprehendi.

DE LVDI MAGISTRIS.

QVI pueros, adolescentesue in disciplinam suscipiũt, illud perpetuo meminisse debent,se non litterarũ potius magistros,quàm vitæ præceptores delectos esse. quare vt eorum mentes non malis moribus imbuantur, hoc maxime caueant, ne, quod etiam librorum Indice vetitum est, ipsis libros omnino Reg.7.

vllos explanent, qui de rebus obſcoenis, vel turpibus conſcripti ſunt. Eiuſmodi enim librorum lectione facile adoleſcẽtum animi, et mores quoque corrumpuntur.

Id etiam ipſi pro ſui muneris cura ſedulo præſtent, vt quos litteris inſtituendos ſuſceperunt, eoſdem ad chiſtianæ fidei doctrinam informari ſtudeant. Quod cum per ſe ipſi, vt a Leone Decimo, concilio Lateranenſi iuſſum eſt, efficiant; tum dominicis, feſtiſq. alijs diebus eoſdem in eccleſiam parochialem conuenire iubeant, vbi illi a parocho, et ab ijs, quibus ea cura demandata eſt, chriſtianæ religionis inſtitutis, ac præceptis imbuatur.

Nemo præterea, qui quouis modo, aut nomine, publice, priuatimue domi ſuæ, vel alienæ, pueros, aut adoleſcẽtes, alioſue artes quaſcunque litterarias, vel liberales, etiam ſi ipſa prima grammaticæ inſtituta docere profitetur, id facere aggrediatur, niſi primum apud nos, aut Vicarium noſtrũ, ex formula a Pio Quarto præſcripta, fidei profeſſionem confecerit.

Quoniam vero illud totius chriſtianæ rei-

publicæ

publicæ vtilitas in primis deposcit, vt adolescentibus instituendis, erudiendisq. homines præficiantur, qui doctrina nō solum, sed fide catholica, ac moribus, vitaq. probati sint; hoc maxime ab huius vrbis Magistratibus petimus, vt neminem ludum litterariū aperire patiantur, nisi se vita, et moribus vel nobis, vel Vicario nostro probarit, idq. fide, ac testimonio duorum, triumue spectatæ vitæ hominum, apud quos diu antea fuerat.

DE VICARIIS FORANEIS.

VICARIIS foraneis, quos in partē sollicitudinis nostræ pastoralis vocauimus, id etiā curæ, negotijq. damus, vt de presbyterorum vita, et moribus quærant, et quales se in pastorali cura præbeant. Tum inquirant diligenter, an quæ in visitationis munere obeundo, Episcopus, eiusue Vicarius fieri iusserit, ea, omnia, ac singula vel ad animarum salutem, ecclesiarumq. instaurationē, et cultum, vel ad cleri, populiq. christiani disciplinam conseruandam pertinentia, re ipsa præsten-

tur. quæ si minus fiant, ad nos, vel ad Vicarium nostrum quamprimum deferant.

Maximam vero diligentiam in hac inuestigatione ponant, an quæ hac diœcesana synodo a nobis decreta, et cõstituta sunt, inuiolate ab ijs seruentur, quorum causa ipsæ constitutiones factæ a nobis sunt.

Quo autem studiosius ipsi Vicarij foranei in hanc curam incumbant; tertio quoque mense de ea diœcesis nostræ parte, quæ cuique eorum commissa est, eiusq. statu Episcopum, aut eius Vicarium certiorem faciant diligenter.

DE SYNODO DIOECESANA.

CVM primum, litteris publice propositis, diœcesana synodus indicta est; parochi parochiam suam obeant, diligenterq. de singulorum vita, et moribus exquirant; et si quos blasphemos repererint, adulteros, concubinarios, et a connubio disiunctos, fœneratores, aliosue nefarij sceleris inquinatos; eorum nomina, cum ipsi ad synodum conuenerint,

 ad

ad nos deferant; vt, qua ratione illorum peccatis occurri potest, in synodo mature deliberetur.

CVM diœcesanæ synodi dies ab Episcopo indicta erit, in omnibus, et vrbis, et diœcesis ecclesijs parochialibus, quinta quaque feria, in singulas hebdomadas, quoad illa absoluta, ac dimissa de more erit, Missa de Spiritu sancto celebretur; in cathedrali autem, et collegiatis processionum præterea munus obeatur; ex animoq. preces fiant, quibus a Deo auxilium impetretur in ea synodalium rerum salutari tractatione.

QVO præterea die diœcesanæ synodi initium fiet, eo ipso die mane omnes, et singuli, qui in ipsa synodo adesse debent, rite primum confessi, sacerdotes quidem sacrosanctum Missæ sacrificium faciant; reliqui vero inferioris ordinis clerici sanctissimam Eucharistiam sumant.

OMNIBVS in rebus Cathedræ nostræ dignitatem, et ius retinere, ac quantum in nobis est, conseruare debemus. Cum illud igitur sacrorum canonum iure decretum sit, vt a

singulis

ſingulis eccleſijs, in vnaquaque diœceſana ſynodo, cathedratici nomine ſolidi duo exigantur,idq. argumento honoris,qui ipſi cathedræ à ceteris eccleſijs tribui debet; illud vniuerſos, et ſingulos, qui in vrbe, diœceſiq. noſtra eccleſias quaſcumque obtinent, vt in hac,et in reliquis, quæ, Deo dante, in poſterum habebuntur, ſynodis diœceſanis hoc ipſos duos ſolidos,quos honoris cauſa cathedre noſtræ iure ſe debere ſciunt, omnino perſoluant.

DE TESTIBVS SYNODALIBVS.

TESTES Synodales ij conſtituantur, qui et moribus, et ætate graues ſint,atque eiuſmodi, quorum dictis, et teſtimonio fides recte haberi poſsit. Ii non amore, non inuidia, non metu, non præmio, non pœna, non cognatione, nec vlla denique re commoueantur,impediantúrue,quo minus Epiſcopo denuncient, aut ſignificent quæcumque, vel contra Dei præcepta, vel contra catholicam recte viuendi diſciplinam in vrbe,

be, diœcesiue fieri, aut factum esse animaduerterint.

Videant item, atque inquirant diligenter eo ipso anno, in quo hoc munus gesserint, hæc omnia, quæ sequuntur.

An in vrbe, et diœcesi dies festi colantur.

An quis de populo in ecclesia minus piè, ac religiose, quàm christianum hominem decet, versetur.

An quo tempore diuina officia celebrantur, et sacræ conciones habentur, quis confabulationibus, et colloquijs loco et tempore alienis operam det.

An quis Missæ sacrificio nō peracto, de ecclesia exeat.

An dominicis, et reliquis festis diebus, ij, qui in pascendis armentis, et pecoribus occupantur, ad ecclesiam veniant, vt Missæ intersint.

An quis dominico die ad ecclesiam nō venerit.

An ieiunium Quatragesimæ, et quatuor temporum, et reliqua item stata ecclesiæ ieiunia seruentur.

An

An in templis aliquid incultũ ſit, quodq. ſordibus obſoleſcat; anue aliquid a religioſo cultu, et pietate alienum.

An pueri christiana diſciplina instituãtur.

An aliquis parocho ſuo debitum honorẽ non tribuat, anue eius præceptiones, et monita contemnat.

An aliquis pia legata non ſoluat.

An quis non confiteatur initio Quatrageſimæ, aut Paſchæ tempore.

An quis non communicet eodem Paſchæ tempore.

An qui excommunicatus eſt, excommunicationem pro nihilo ducat.

An aliquis cum excommunicato verſetur.

An quis patrem, aut matrem quo debet honore, non afficiat; anue quispiam, qui illum, aut illam violarit.

An quis decimam ſoluere recuſet.

An in illis Decani ſint, homines Deũ timẽtes, qui ceteros admoneant, vt feſtis ſaltẽ diebus reliqui fideles in eccleſiam conueniãt ad ſolemnem Miſſam, ad Veſperas, et reliqua diuina officia.

An parochi, et reliqui animarũ curatores ita viuant, atque adeo in officijs suis obeundis ita se gerant, vt non solum non offensionem, sed recte viuendi exemplum populo præbeant.

An reliqui clerici inferiores in officio se contineant.

Inquirant denique sedulo testes synodales, an sacrilegi, an cõcubinarij, an adulteri, adulteræue, an Virginum raptores, an hæresis nomine suspecti aliqui sint, an qui magia, superstitionibus, cantionibusue vtantur.

Iureiurãdo præterea ijdem sanctè obstringantur, se hæc omnia, atque adeo alia, quæcunque, vel contra diuina præcepta, vel ecclesiæ leges, vel cõtra synodi diœcesanæ decreta admittũtur, ea omnia inquisituros diligenter.

DE IIS, QVAE GENERATIM AD HAS CONSTITVTIONES PERTINENT.

HAE sunt constitutiones, quas, in hac nostra diœcesana synodo, more maiorum habita,

 a nobis

a nobis editas,et promulgatas, ſanctæ, Romanæ Eccleſiæ,ex cuius præceptis, et legibus, populum fidelem, fidei noſtræ commiſſum, ad Dei omnipotentis cultum, et certam christianæ pietatis regulam dirigere cupimus, iudicio, et auctoritati, nos cum omni humilitate ſubijcimus.

Ne autem vllus vel ſacerdos, vel clericus cuiuſuis ordinis,in ijs, quæ in hac ipſa ſynodo, more maiorum habita, a nobis ſancita ſunt, præſtandis, aliqua vel excuſatione, vel exceptione vti poſſit, præſertim quod ea ignorarit: Nos propterea omnibus,et ſingulis vrbis, diœceſiſq; noſtræ ſacerdotibus, et clericis hoc decreto mãdamus, vt mẽſe poſtquam hæ ſynodales cõſtitutiones impreſſæ, atque in lucem emiſſæ erunt, eas apud ſe habeant,et quo diligentius ſeruent,ſtudioſe itẽ legant,eam præſertim partem,quæ eſt de vita,et honeſtate clericorum.

Quicumque vero in noſtris his ſynodalibus cõſtitutionibus obſeruandis culpam aliquam admiſerit, is tum pœnas,quæ ſuo loco ſupra nominatim expreſſæ ſunt,tum alias ſu

ſtinebit

ſtinebit ex Sanctorum Patrum decretis,et ec
cleſiaſticis, conciliaribusq. ſanctionibus ir-
rogandis noſtro, Vicarijq. noſtri iudicio, et
arbitratu. Sed vos,quod veſtrum eſt,ita agi- Rom.
te,vt vnanimes obediatis, et quæ ædificatio- 14. Col. 1.
nis ſunt, inuicē cuſtodiatis, ambuletisq. di- 1.Theſ.
gne Deo,per omnia placentes,in omni opere 5.
bono fructificantes, et creſcentes in ſcientia
Dei,qui ſanctificet vos per omnia,et impleat
omnem volūtatem bonitatis ſuæ, et opus fi-
dei in virtute,vt clarificetur nomen Domini
noſtri Ieſu Chriſti in vobis, et vos in illo, ſe-
cundum gratiam Dei noſtri, et Domini Ieſu
Chriſti; Cui gloria,et laus ſempiterna.
Amen.

Finis.

Paulus Cardinalis

Epiſcopus Placentiæ et Co:

Marcus Antonius Ripalta Notarius
& Cancellarius ſubſcrip.

DECRETA TRIDENTINI CONCILII, LATINO, ET VVLGARI SERMONE EXPLICATA, QVAE PRAESCRIPTIS SVPRA LOCO SVO, CERTIS ANNI DIEBVS PROMVLGANDA SVNT A PAROCHIS.

DECRETVM DE REFORMATIONE MATRIMONII.

CAPVT I.

TAMETSI dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit; & proinde iure damnandi ſint illi, vt eos ſancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata eſſe negant; quiq. falſo affirmant, matrimonia, a filijs familias ſine conſenſu parẽtum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe: nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex iuſtiſsimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit. verum cum ſancta Synodus animaduertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam nõ prodeſſe: & grauia peccata perpendat, quæ ex eiſdem clandeſtinis coniugijs ortum habent, præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio viuunt: cui malo cum ab Eccleſia, quæ de occultis non iudicat, ſuccurri non poſsit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur: icirco ſacri Lateranenſis Concilij, ſub Innocentio III celebrati, veſtigijs inhærendo præcipit, vt in poſterũ, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio cõtrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtiuis in eccleſia inter Miſſarum ſollemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum: quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum Seſſ. 24 C. I.

oppo-

opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur; vbi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vel alijs vtatur verbis iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes; tunc vel vna tantum denunciatio fiat; vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consumationē denunciationes in ecclesia fiant; vt si aliqua subsunt impedimēta, facilius detegātur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denūciationes remittantur: quod illius prudētiæ, & iudicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter, quā præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit; & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat. Insuper Parochum, vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine Parocho, vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit. Præterea eadem sancta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitq. benedictionem a proprio Parocho fieri; neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij sacerdoti concedi posse; quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel priuilegio, nón obstantibus. Quod si quis Parochus, vel alius sacerdos, siue Regularis, siue sæcularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipiēda erat, absoluatur. Habeat Parochus librum, in quo coniugum, & testium nomina, diemq. & locum contracti matrimo

nij describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremo sancta synodus coniuges hortatur, vt, antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonij consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pie accedant. Si quæ prouinciæ alijs vltra prædictas, laudabilibus consuetudinibus, & cærimonijs hac in re vtuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat. Ne vero hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, Ordinarijs omnibus præcipit, vt, quamprimum poterint, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum diœcesum Parochialibus ecclesijs, idq. in primo anno quam sæpissime fiat; deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, vt huiusmodi decretum in vnaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis, in eadem Parochia facta, numerandos.

DECRETO MEDESIMO FATTO VOLGARE.

BENCHE non è da dubitare che i matrimonij clandestini fatti con il libero consenso di contrahenti siano fermi & veri matrimonij, mentre che la Chiesa non gli hà fatti inualidi, et perciò se debbono dãnare, come il Sãtó Cõcilio gli anathematiza quelli, i quali negano tali matrimonij essere veri, & fermi & i quali falsamente affermano i matrimonij contratti da figliuoli di famiglia senza il cõsenso di loro padri essere nulli & inualidi; & essi padri potergli fare validi, ò inualidi: Nondimeno la Santa Chiesa de Dio per giustissime cause sempre hà tali matrimonij biasmati & prohibiti. Ma hora il sãto Concilio vedẽdo che quelle prohibitioni per la inobedientia de gli huomini gia nõ giouano, & considerando i graui peccati, che da i medesmi matrimonij clandestini nascono, massime di coloro i quali perseuerano in stato di dannatione, mentre abbãdonata la prima moglie, con la quale di nascosto e clandestinamente haueano contratto il matrimonio, publicamente contraheno con vn'altra,

vn'altra, & con quella viuono imperpetuo adulterio. Al quale male non si può soccorrere della Chiesa che non giudica delle cose oculte, se non vi si pone alcuno rimedio più efficace. Per questo seguendo i vestigij del sacro Concilio Lateran. celebrato sotto Papa Innocentio Terzo, commanda che per l'auenire auante che alcun matrimonio si contraha, dal proprio sacerdote parochiale di essi cōtrahenti, tre volte in tre giorni di festa continui nella Chiesa tra la solennità delle messe si debba publicamente denuntiare, tra quali persone si hà da contrahere il matrimonio.

Quali denuntiationi fatte, se non vi si oppone alcuno legitimo impedimento, si proceda alla celebratione del matrimonio in faccia della Chiesa, doue il sacerdote parochiale hauendo dimandati & interogati l'huomo, & la donna, & inteso il loro mutuo & libero consenso, ò vero dica. Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti; ò vero vsi altre parole secondo l'approbato costume & rito di ciascuna Prouincia.

Ma se alcuna volta sarà probabile sospitione che'l matrimonio possa esser malitiosamente impedito se inanti fussero fatte tante dinuntiationi, all'hora, ò vero si facci vna denuntiatione, ò vero almeno in presenza del sacerdote parochiale, & de doi, ò tre testimonij si celebri il matrimonio, & dopò inanti la consumatione di esso matrimonio si faccino le predette denuntiationi nella Chiesa, accioche se vi sono alcuni impedimenti, piu facilmente siano scoperti: eccetto se il Prelato ordinario giudicherà essere espediente, che le dette denuntiationi si pretermettano, il che il Santo Concilio lassa alla prudenza & giuditio di esso ordinario.

Quelli i quali attentaranno di contrahere matrimonio altrimente, che impresentia del prete parochiale ò di altro sacerdote, con licenza però di esso parochiale ò del prelato ordinario & presēte doi, ò tre testimonij, il Santo Concilio gli fa totalmente inabili à contrahere il matrimonio in tal modo, & decretali contratti essere irriti, & nulli come per il presente decretali fa irriti & gli annulla.

Di piu commanda il Santo Concilio che quel prete parochiale, ò altro sacerdote che interuerà à tal contratto di Matrimonio con minor numero de testimonij, & similmente quei testimonij che interuerranno senza il prete parochiale, ò sacerdote, come è detto di so-

pra, & cosi anco essi contrahenti medesimi siano grauemente pu niti ad arbitrio di esso ordinario.

Oltra di questo il medesimo Santo Concilio essorta, & amoni sce che i sposi auanti la beneditione sacerdotale, quale si habbia à riceuere nella Chiesa, nô habitino insieme nella medesima casa.

Et ordina che la detta benedittione si debbia fare dal proprio sacerdote parochiale, & che da nissuno altro, eccetto da esso prete parochiale, ò verò dal Prelato ordinario si possa concedere licentia di fare detta benedittione non ostante qual si voglia consuetudine, ancora immemorabile, quale è piu tosto da chiamarsi corruttela, ò altro preuilegio, che vi fusse.

Et se alcuno parochiale, ò altro prete, ò sia regulare, ò seculare (ancorche pretenda questo essergli lecito per alcuno preuilegio, ò consuetudine immemorabile) presumerà di congiũgere in matrimonio, ò benedire i sposi di altra parochia senza licẽtia del proprio sacerdote parochiale di essi sposi, ipso iure, senz'altro sia sospeso dall'offitio suo in fin' attanto, che sia assoluto dal ordinario di quel prete Parochiale, quale douea interuenire à detto matrimonio, ouerò dal quale era da riceuersi la beneditione.

Comãda anco il Santo Cõcilio che il prete parochiale debbia hauere vn libro, inel quale habbia à scriuere li nomi de sposi, e di testimonij, che sono interuenuti al cõtratto del matrimonio, & il giorno, & il luogo del detto matrimonio contratto, qual libro debbia deligentemente custodire, & guardare appresso di se.

Vltimamente il Santo Concilio essorta li sposi, che inanzi che contraheno, ò almeno tre giorni auanti la consumatione del matrimonio confessino deligentemente li loro peccati, & diuotamente vadino à riceuere il Santissimo Sacramento della Eucharestia. e se alcune prouintie in questo harãno oltre le predette, altre laudabili vsanze, e cerimonie, esso Sãto Concilio grandemẽte dessidera, che quelle in ogni modo se tẽghino, & si osseruano. Et accioche questi precetti tanto salutari siano manifesti à ciascuno; comanda à tutti gli Ordinarij che quanto prima potranno, habbino cura di far publicare questo decreto al populo, & che

Z sia spie-

sia spiegato,& dichiarato in tutte le Chiese parochiali delle loro diocesi; & questo si facci spessissime volte nel primo anno, & dopo quante volte cognosceranno essere espediẽte. Di piu vole che il presente decreto cominci adhauere il suo effetto in ciascũna Parochia dopo 30. giorni da contarsi dal giorno della prima publicatione fatta nella medesima Parochia.

CONTRA ILLOS, QVI COGVNT, AVT IMPEDIVNT PVELLAS IN MONASTERIVM INGREDI.

Seſſ. 25. C. 18. ANATHEMATI sancta Synodus subijcit omnes,& singulas personas, cuiuscumque qualitatis, vel condicionis fuerint, tam clericos, quam laicos, sæculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint; quiq. scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere; quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subijcit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquomodo sine iusta causa impedierint. Eaq. omnia,& singula, quæ ante professionem, vel in ipsa professione fieri oportet, seruentur non solum in monasterijs subiectis Episcopo, sed & in alijs quibuscumque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ Pænitentes, aut Conuertitæ appellantur: in quibus constitutiones earum seruentur.

IL MEDEMO FATTO VOLGARE.

MALEDETTE & escommunicate sono dal sacro Cōcilio tutte,& singole persone di quale si uoglia qualità, ò cōditione,tanto chierici,quanto laici,seculari,& regulari,& ancora in qual si uoglia dignità che siano,se in qualunque modo costringeranno alcuna vergine, ò vedoua, ò altra donna contra sua voglia escettò ne i casi espressi nella ragione, ad entrare in Monasterio,ò à pigliare l'habito di qual si uoglia religione,ouero à fare la professione;& quelli,che à ciò daranno consiglio,aiuto, ò fauore;& chi saprà che quella tale non entri spontaneamente nel monasterio,ò pigli l'habito,ò facci la professione; in qualche modo interporra in tale atto la presenza,ò il consenso,ò l'autorità sua. Similmēte maledice,& escōmunica quelli, che in qual si voglia modo senza giusta causa impediranno la santa volontà delle vergini, ò di altre donne di pigliare il uelo, ò di fare il voto. Tutte,& singole predette cose,che auanti la professione,ò in essa professione bisogna fare, si osseruino non solo nei monasterij sottoposti al Vescouo, ma in tutti gli altri ancora. Da questi però si escettuano le donne chiamate Penitenti,ò Conuertite; ne i quali si osseruino le loro constitutioni.

CONTRA EOS, QVI INVITOS MATRIMONIO IVNGI COGVNT.

ITA plerumq. temporalium Dominorum,ac Magistratuum mentis oculos terreni affectus,atque cupiditates excæcant,vt viros,& mulieres,sub eorum iurisdictione degentes, maxime diuites, vel spem magnæ hereditatis habentes, minis, & pœnis adigant cum ijs matrimonium inuitos contrahere,quos ipsi Domini, vel Magistratus illis præscripserint. Quare cum maxime nefarium sit,matrimonij libertatem violare,& ab eis iniurias nasci, a quibus iure expectantur; præcipit sancta Synodus omni- Sess. 24 C. 9.

bus, cuiuscumque gradus, dignitatis, & condicionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscũque alios cogant, quo minus libere matrimonia contrahant.

IL MEDEMO FATTO VOLGARE.

LE passioni, & le cupidita terrene in tal maniera spesse volte acciecano gli occhi della mente delli Signori, & Magistrati temporali, che con minaccie, & pene costringono huomini, & dõne che viuono sotto la loro iurisdittione massimamente ricchi ò che hanno speranza di grande heredità, à contrahere matrimonio contra lor voglia con chi piu pare à essi Signori, & Magistrati. onde essendo cosa molto impia il violare la libertà de matrimonij, & da coloro riceuere ingiuria, da i quali douerebbe venire giustitia, il sacro Concilio comanda à tutti di qualunque grado, dignità, et conditione siano, sotto pena di maledittione, et excommunicatione maggiore da incorrersi ipso facto, che in modo nissuno ne diretta, ne indirettamente sforzino i sudditi loro, ò chi altri si sia, à contrahere matrimonij, se nõ di libera volontà delli contrahenti.

CONTRA OCCVPANTES BONA ECCLESIA.

Sess. 22 C. 11. SI quem clericorum, aut laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix, cupiditas occupauerit, vt alicuius ecclesiæ, seu cuiusuis sæcularis vel regularis beneficij, Montium pietatis, aliorumq. piorum locorum iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, seu quascumque obuentiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates conuerti debent, per se, vel per alios vi, vel timore incusso,

seu

ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas clericorum, aut laicorum, ſeu quacumque arte, aut quocũque quæſito colore in proprios vſus cõuertere, illoſq; vſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiãtur: is anathemati tamdiu ſubiaceat, quamdiu iuriſdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, peruenerint, eccleſiæ, eiuſq. adminiſtratori, ſiue beneficiato integrè reſtituerit, ac deinde a Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quod ſi eiuſdem eccleſiæ patronus fuerit, etiam iure patronatus vltra prædictas pœnas eo ipſo priuatus exiſtat. Clericus vero, qui nefandæ fraudis, & vſurpationis huiuſmodi fabricator, ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubiaceat, necnon quibuſcumque beneficijs priuatus ſit, et ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur, & a ſuorum Ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem, ſui Ordinarij arbitrio ſuſpendatur.

IL MEDEMO FATTO VOLGARE

SE l'auaritia, radice de tutti i mali, in tanto occuparà l'animo di alcun chierico, ò laico, di qualunche degnità riſplenda, anco Imperiale ò Regale che preſuma per ſe, ò per altri, con forza, ò con timore, ouero ancora per ſuppoſite perſone di chierici, ò laici, ouero cõ qual ſi uoglia arte, ò procurato colore conuertire in proprij vſi, & occupare, ò impedire, che non ſi riceuano da coloro, à chi di ragione toccano, le giuriſditioni, beni, cenſi, & ragioni, anco feudali, & emphitiotiche, frutti, emolumenti, ouero qual ſi voglia obuentione, (che ſi debbono conuertire in neceſsità de i Miniſtri, & poueri) d'alcuna Chieſa, ouero di qualunche beneficio ſecolare, ò regolare, di Monti di Pietà, & d'altri luoghi pij; queſto tale ſottogiaccia all'anathema, cioè alla maledittione, & ſcommunicatione maggiore, ſin tanto, che harà intieramente alla Chieſa, & ſuo Amminiſtratore, ò beneficiato le giuriſdittioni, beni, robbe ragioni, frutti, & rendite, le quali harà occupato, ouero in qual ſi uoglia modo, anco p donatione

tione di supposita persona, gli saranno peruenute nelle mani, & dipoi harà ottenuta l'assolutione dal Santisimo Signor N. Pontefice Romano. Et se sarà patrone della medema Chiesa, sia subbito oltra l'altre pene, priuo anco del iuspatronato. Et il Chierico, che sarà stato fabricatore di questo scelerato inganno, & di tale vsurpatione, ò ne sarà stato consentiente, sottogiaccia alle medeme pene; & di piu resti priuo d'ogni sorte di beneficio, & sia fatto inhabile à qualunche altro beneficio, & anco dopò l'intiera sodisfattione, & assolutione si sospēda dell'essecutione de suoi ordini ad arbitrio del suo Ordinario.

DE SOLVENDIS DECIMIS.

Sess. 25 C. 12 NON sunt ferendi, qui varijs artibus decimas, ecclesijs obuenientes, subtrahere moliuntur; aut qui ab alijs soluendas temere occupant, & in rem suam vertunt: cum decimarum solutio debita sit Deo; & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadant Præcipit igitur sancta Synodus omnibus, cuiuscumque gradus, & condicionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, vt eas, ad quas de iure tenentur, in posterum cathedrali, aut quibuscumque alijs ecclesijs, vel personis, quibus legitime debentur, integre persoluant. Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt; excommunicentur: nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absoluantur. Hortatur dehinc omnes, & singulos, pro Christiana caritate, debitoq. erga Pastores suos munere, vt de bonis sibi à Deo collatis. Episcopo, & Parochis, qui tenuioribus presūt ecclesijs, large, subuenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur.

IL MEDEMO FATTO VOLGARE.

NON si debbono sopportare quelli i quali con varie astutie machinano di sottrahere le decime, che peruengono alle chiese; ouero coloro, che temerariamente occupano,

& conuertono in cosa propria quelle, che da gli altri si debbeno pagare; atteso che il pagare le decime sia cosa debita à Dio: & quelli che non le vogliono dare, ouero impediscono quelli, che le danno, sintromettono nelle cose d'altri. Per questo il sacro Concilio comanda à tutti di qual si voglia grado, & conditione siano, à quali spetta il pagare le decime, che quelle, alle quali di ragione sono tenuti, per l'auenire intieramente paghino alla cathedrale, ò à qualunque altre chiese, ouero persone, alle quali legitimamente si debbono. Et chi le sottraheno, ò impediscono; siano escommunicati; & non siano assoluti da questo peccato, se non fatta prima la piena restitutione. In oltre essorta tutti per la charita christiana, & debito officio di ciascuno verso i suoi Pastori, che de i beni, che hanno riceuuti da Dio, non sia lor graue à laude della Maestà Sua & mantenimento della dignità de lor Pastori, che vegghiano per la salute loro, di souuenire largamente Vescoui, & Parochiali, che hanno le chiese tenui.

CONSTITVTIONES SVMMORVM PONTIFICVM QVAE STATIS QVIBVSDAM ANNI DIEBVS DIVVLGANDAE SVNT.

Bulla S. D. N. D. PII PP. V. prohibitioñ. Blasphemiæ, Sodomiæ, Simoniæ, Cõcubinariatus, ac contra deambulantes per Ecclesias, pauperes per eas mendicantes, ac alios in eis illicita facien. necnõ de tollendis ex eis capsis, & depositis mortuorum,

rum, de non laborãdo in diebus Festiuis, ac circa plurima alia Dei honorem, et diuinum cultum concernen.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI AD PERPETVAM REI MEMORIAM.



VM primum apostolatus officium diuina nobis dispositione commissum suscepimus: statim oẽm curam & cogitationem nostram in dominici gregis fidei nostræ crediti salute defiximus: & Christifideles Deo iuuante ita dirigere statuimus; vt a vitijs & peccatis abstinẽtes, iter, quod ad vitam æternam ducit, insistant. Cum autem ad omnia, quæ diuinam maiestatem aliquo modo possent offendere, amouenda mentis nostræ aciem intenderimus: ea primum & sine mora emendate decreuimus: quæ Deo præter cetera displicere, & iram eius prouocare cum diuinæ docent scripturæ; tum grauissima exempla declarant, nempe diuini cultus neglectum, Simoniæ labem, blasphemiæ crimen, & libidinis naturæ contrariæ vicium execrandum, propter quæ populi & nationes bellorum, famis & pestilentiæ calamitatibus iusta dei vltione sæpe plectuntur. Et si autem contra eos, qui tam grauia crimina admiserint: multæ a prædecessoribus nostris constitutiones editæ fuerunt: tamen quia parum est leges edere: nisi sint, qui eas debitis temporibus exequantur: Idcirco ne qui forsan ex tolerantia sperare impunitatem audeant, scientes plerosq. pœnarum grauitate magis quam dei timore arceri solere a voluntate peccandi; omnes & singulas sententias censuras & pœnas contra eos, qui talia deliquerint, latas confirmamus, & apostolica auctoritate innouamus; nec de earum rigore quicquam relaxamus; admonemusq. eos qui talia perpetrare veriti non fuerint: non solum

subituros

ſubituros eas pœnas; quæ ſacris ſunt Canonibus conſtitutæ, ſed eas etiam, quas leges ciuiles comminantur, & noſtri quoq; arbitrij diſcretio pro perſonarum qualitate conſtituet. Mandantes ciuitatum, & locorum ſtatus noſtri Eccleſiaſtici pro tempore Ordinarijs, & Gubernatoribus, illis quidem ſub pœna ſuſpenſionis a diuinis: his vero ſub pœna excõicationis latæ ſententiæ; vt quos debitum Deo cultum in Eccleſijs non tribuere: alijsq. nefandis criminibus pollutos eſſe competerint: comprehendi curent pœnis afficiendos competentibus. Sciturīs etiam ipſis Iudicibus quòd ſi poſt hanc noſtram conſtitutionem in caſtigandis hmõi delictis negligentes fuerint: Primum quidem Dei omnipotentis Iudicio obnoxij erunt: deinde noſtram quoque incurrent indignationem. Vt autem pœnarum certitudo cunctis facilius innoteſcat: non nullas hic duximus exprimendas, alijs nihilominus contra huiuſmodi criminum reos a iure ſtatutis in ſuo robore manentibus. Vt igitur Deo optimo maximo, glorioſæ virgini, & ſanctis omnibus debitus honor deferatur: Gregorij X. prædeceſſoris noſtri conſtitutionem innouantes, ac ſtatuta in Tridentino Concilio obſeruari volentes; ſtatuimus, & ordinamus; vt ad Eccleſias ſit humilis, & deuotus ingreſſus, quieta conuerſatio, deuotis orationibus inſiſtant: & omnes genibus flexis ſanctiſsimum ſacramentum adorent: ad nomen Ieſu Chriſti domini noſtri cum exhibitione reuerentiæ caput inclinent: nullus in dictis Eccleſijs ſeditionem faciat; tumultum excitet, clamores moueat; impetumue committat; ceſſent vana fœda, & profana colloquia, riſus immoderati, & ſtrepitus omnes iudiciorum, & alia quæcunq; quæ diuinum officium perturbare poſſunt. Nullus intra Eccleſias deambulare audeat, ſiue præſumat: dum celebrantur ſacra miſſarum myſteria, & alia diuina officia. Qui vero prædicta petulanti animo contempſerint; præter diuinæ vltionis acrimoniam, noſtri quoq; arbitrij pœnas incurrent: quæ omnia locorum quoq; ordinarij in ſuis Eccleſijs facient obſeruari. Quicunq; vero in Eccleſijs, dum ibi ſacrificium Miſſæ, & diuina celebrantur officia: aut verbum Dei prædicatur; deambulare, vociferari, aut verſo tergo ad ſanctiſsimum ſacramentum.

mentum irreuerenter ſedere, aut aliquid, quod ſcandalum generet,aut diuina perturbet officia,facere præſumpſerit: pœnam vigintiquinque ducatorum incurret, præter alias arbitrio nostro imponendas,& moderandas pœnas; & qui non habebit in ære,luetin corpore, aut exilio mulctabitur. Qui vero in Eccleſijs cum mulieribus impudicis, ſiue etiam honeſtis colloquium ſcurrile habuerit; aut alios inhoneſtos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum pœnam incurrat,& carceris per menſem. Qui in Eccleſijs,vt ſupra,obſcœnis,& inhoneſtis verbis, aut ſignis vſus fuerit,aut aliàs fœda colloquia cum perſonis quibuſcunque habuerit,decem aureorum pœna mulctetur, aut aliàs corporaliter puniatur. Mandamus præterea omnibus,& ſingulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum Capitulis,Rectoribus,Vicarijs,Sacriſtis,Oſtiarijs,& alijs ipſarum Custodibus, quatenus præfatos omnes in Eccleſijs delinquentes admoneant,& vt in eis vetita fieri non permittant, vel ſaltem ipſis ordinarijs,vel officialibus noſtris puniendos deferant, quod ſi facere neglexerint,pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrent. Pauperes quoque mendicantes, ſeu eleemoſynas petentes per Eccleſias tempore miſſarum prędicationum aliorumq. diuinorum officiorum ire non ſinant, ſed eos ad valuas Eccleſiarum ſtare faciant, ſub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice,niſi eos eijci curauerint, & Parochis dimidij aurei. Religioſis etiã Clauſtralibus,ſiue regularibus præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ vt in Eccleſijs ſuis deputent aliquem,qui tales eijciat,& ſi negligentes fuerint, grauiſsime ab ordinario corripiãtur,quod ſi illi parere recuſauerint, grauiſsimas pœnas incurrent, & pro qualitate perſonarum etiã corporaliter punientur arbitrio noſtro,ſiue Superiorum ſuorum. Et vt in Eccleſijs nihil indecens relinquatur, ijdem prouideant' vt capſæ omnes, & depoſita, ſeu alia cadauerum conditoria ſuper terram exiſtentia omnino amoueãtur,prout alias ſtatutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis pro fundis infra terram collocentur. Cum vero dierum feſtorum obſeruatio ad Dei cultum maxime pertineat,& in lege diuina præcipiatur: Cupientes abuſus

ſus prauos, qui ex eorum inobſeruantia inualuerunt: omnino corrigere: & antiquorum canonum ſtatuta renouantes, mandamus vt omnes Dies dominici, & pręcipue in honorem dei, beatæ Mariæ virginis, ſanctorum Apoſtolorum feriati cum omni veneratione obſeruentur, & omnes in diebus præfatis Eccleſias frequentent: diuinis officijs deuote intendant: ab omni illicito, & ſeruili opere abſtineant: Mercatus non fiant: Profanæ negociationes & Iudiciorum ſtrepitus conquieſcant. Qui vero in diebus præfatis opus aliquod illicitum feciſſe deprehenſus fuerit: pręter diuinam vltionem, & amiſsionem animalium, quibus ad vecturam vtetur, etiam graues pœnas incurret arbitrio noſtro, ſeu vicarij noſtri in vrbe. In alijs autem locis arbitrio ordinariorum, vel aliorum magiſtratuum, ita vt pręuentioni locus ſit. Quibus omnibus diſtrictę præcipimus, vt hæc diligenter obſeruari procurent: illas etiam feſtiuitates, quæ iuxta conſuetudinem locorum ſolemniter celebrari conſueuerunt, iuxta laudabilem conſuetudinem debita cum reuerentia obſeruari faciant, ſub pœnis arbitrio ipſorum imponendis, & moderandis. Et vt ſimoniacæ prauitatis labes prorſus aboleatur, Conſtitutiones anteceſſorum noſtrorum cõtra Simoniacos editas, & præſertim Pauli II. inuiolabiliter obſeruari mandamus, & delinquentes tam in ſacrorum ordinum receptione, quam in beneficiorum aſſecutione, ſtatutis etiam inferius pœnis noſtra auctoritate affici volumus. Quicunq; igitur deteſtabile crimen Simoniacæ prauitatis commiſiſſe conuictus fuerit in cõſequendis ordinibus, eo ipſo ſit ab illorum executione per decennium ſine ſpe diſpenſationis ſuſpenſus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Eccleſiaſticas ſimoniace acquiſiuerit, illis ſit ipſo iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quaſcunq; alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Eccleſiaſticum ſimoniace adeptus fuerit: illis ſimiliter ſit ipſo iure priuatus: & ad fructuũ omnium, quos perceperit, reſtitutionem teneatur, & perpetuo ſit inhabilis ad ea, & quæcunq; alia bñficia Eccleſiaſtica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commiſiſſe conuictus fuerit: præter ſupradictas pœnas etiam corporaliter puniatur,

& ab ordinibus Ecclesiasticis degradatus a fidelium consortio eiiciatur. Qui vero ordines, & bñficia simoniace contulerint: pœnis a Iure statutis puniantur, cuiuscunq; gradus, conditionis, & dignitatis, etiã si Episcopi, Archiepiscopi, vel maiores fuerint. Caueant prçterea quicunq; ne in sacramentorum exhibitio ne Simoniacum aliquid faciant: Alioquin grauissime puniantur per locorum ordinarios, qui hmõi criminis reos cum maxima seueritate coercere procurent, iuxta Concilij Tridentini statuta. Ad abolendum vero nefariam, & execrabile blasphemiæ scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, & Imperialibus quoq; legibus receptum est: nunc autem propter nimiam Iudicum in puniendo segniciẽ, vel potius desuetudinem, supra modum inualuit, Leonis X. prædecessoris nostri in nouissimo Lateranensi Concilio statuta innouantes, Decernimus, vt quicunq; laicus Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam virginem Mariam eius genitricem expresse blasphemauerit; pro prima vice pœnam Vigintiquinq; ducatorum incurrat, pro secunda, pœna duplicabitur, pro tertia autem Centum ducatos soluet, & ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui vero plebeius fuerit, nec erit soluendo; pro prima vice manibus post tergum ligatis, ante fores Ecclesiæ constituetur per diem integrum. pro secunda fustigabitur per Vrbem, pro tertia lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes, Quicunq; clericus in hoc blasphemiæ crimen incurrerit: pro prima vice fructibus vnius anni omnium, & quorumcunq; beneficiorum suorum, pro secunda, beneficijs ipsis priuetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur: & in exilium mittatur. Quod si clericus nullum obtinuerit beneficium, pœna pecuniaria, vel corporali, pro prima vice puniatur, pro secunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos sanctos blasphemauerit pro qualitate blasphemiæ, atq; personæ, arbitrio Iudicis puniatur. Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira dei venit in filios diffidentiæ, perpetrauerit: Curiæ sæculari puniendus tradatur. Et si Clericus fuerit omnibus ordinibus degradatus, simili

pœna

pœna subijciatur: Monemus prę terea omnes locorum ordinarios, & in virtute sanctæ obedientiæ eis pręcipimus, vt statuta Tridentini Concilij contra Concubinarios tam Clericos, quam laicos edita districte faciant obseruari, reddituri Deo, ac nobis, si id omiserint, rationem. Et vt pręmissorum delictorum Simoniæ, blasphemiæ, ac stupri nefandi notitia facilius habeatur, Volumus quòd in singulis casibus, non solum per accusationem, & inquisitionem, sed etiam ad simplicem, & secretam denuntiationem procedatur per quoscunque iudices, aliàs tamen de iure competentes, tam ratione delicti, quam personarum, ita quòd inter eos locus sit præuentioni. Monemus prætereà omnes, & singulos, vt solum dei timorem præ oculis habentes, & non alia animi praua affectione ducti, culpabiles tantum deferant: innocentes non vexent. Quod si aliqui ex calumnia aliquos denunciasse comperti fuerint: eos ad pœnam talionis teneri volumus, & mandamus. Mulctæ autem pecuniariæ applicabuntur pro duabus partibus locis pijs arbitrio nostro in Vrbe, extra vero, ordinariorum, pro tertia accusatori, qui delinquentes detulerit. Mandamus autem Principibus, Comitibus, & Baronibus omnibus S. R. E. feudatarijs, sub pœna priuationis feudorum, quæ ab ipsa Ecclesiá Romana obtinent, reliquos vero Principes christianos, & Terrarum Dominos hortamur in domino, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus: vt pro diuini nominis reuerentia, & honore, præmissa omnia in suis dominijs, ac Terris exactissime seruari faciant, vberrimam ab ipso Deo mercedem tam boni operis recepturi. Non obstantibus quibusuis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac exēptionibus, priuilegijs, indultis, facultatibus, & literis Apostolicis, quibusuis Capitulis, Conuentibus, Militijs, ordinibus, & personis cuiuscunque qualitatis, & conditionis existentibus, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq. efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus, illorū tenores presentibus pro expressis habentes, spetialiter, & expresse dero-

se derogamus,cæterisq. contrarijs quibuscunq;. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbiq. adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur,si forent exhibitę, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, relaxationis,admonitionis,confirmationis,mandati,statuti decreti,ordinationis,præcepti,monitionis,voluntatis,& derogationis infringere,vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit: Indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis dominicæ Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Sexto Kal. Aprilis. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Antonius Florebellus Lauellinus.

Visa de Curia Io. Riuetius.

H. Cumyn.

BVLLA S. D. N. D. PII diuina prouidentia Papæ IIII. cõtra quoſcũque Eccleſias et beneficia eccleſiaſtica quæcunque in confidentiam retinentes, ſeu recipientes.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI AD PERPETVAM REI MEMORIAM.



OMANVM Pontificem in excelſa militantis Eccleſiæ ſpecula cõſtitutum vigiles mentis ocũlos, non ſolum in abſentium extendere, ſed potiſsimum in præſentium domeſticorumq. fratrum, & filiorum ſuorum mores diligenter perſcrutandos, aliquando reflectere, ac eos, præſertim quos in apoſtolicę ſolicitudinis partem euocauit altiſsimus, nedum ab omni pactionis illicitæ contagione, verum etiam ab eius omnimoda ſuſpitione, vacuos & immunes conſeruare decet, Vt qui cæteros illuſtris officij ſublimitate antecellunt, eoſdem priſca etiam illa morum integritate, præſtare dignoſcãtur. Sane licet dudum, cum certam ſymoniacæ prauitatis ſpeciem, quam beneficiorum confidentiam vocant, etiam Ro. Cu. atque adeo in ſacrum ven. fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium collegium, quaſi per cuniculos irrepſiſſe, ac nonnullos ex ipſis fratribus, nimia quadam facilitate, ſeu potius importunis amicorum familiariumq. precibus adductos, beneficia Eccleſiaſtica in confidentiam huiuſmodi recepiſſe, & frequenter recipere, intelleximus, hanc illicitam beneficientiæ exercendæ, ſeu amicitiæ colendæ viam, a tanto ſaltem Collegio prorſus eliminare cupientes, eoſdem fratres in Conſiſtorio noſtro ſecreto, nos ſemel admonuerimus huic aliena beneficia cuſtodiendi modo ne aſſueſcerent, ne ve illa hoc pacto reciperent, vtq; ſic recepta dimitterent,

mitterent, Nihilominus nuper ad aures nostras peruenit, eorum aliquos, monitionis nostræ imo potius suimet oblitos, ea, quæ custodienda, receperũt bñficia, nondũ tñ dimisisse. Et insuper illos, & nonnullos alios, etiam Patriarchas, Archiepiscopos & alios Episcopos, ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos, Ecclesias, Monasteria, dignitates, & alia beneficia huiusmodi, in sui fauorem resignata, cessa, vel alias dimissa, acceptasse, aut de illis, per obitum vel alias vacantibus, a nobis, & prædecessoribus nostris, seu etiam ab ordinarijs, & alijs inferioribus, collatoribus, etiam ad patronorum præsentationem, ad alterius commodum sibi prouideri obtinuisse, illaq. ac etiam alia aliter vacantia, sibi in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias dicta au ctoritate concessa quandoque in resignantium, vel cedentium, seu etiam aliorum fauorem cessisse, vel alias dimisisse, Ac sibi propterea pensiones annuas, ac fructus redditus, & prouentus Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum & aliorum beneficiorum huiusmodi, in toto, vel in parte, etiam aliquando cum facultate illas & illos transferendi, ac etiam collationem, prouisionem, præsentationem, & aliam dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum ad eorumdem ecclesiarum, monasteriorum, & dignitatum Prælatos pro tempore existentes, ac alios huiusmodi beneficia pro tempore obtinentes pertinentium, nec non regressus, sue accessus, & ingressus ad ecclesias, etiam Cathedrales, monasteria, ac alia diuersa beneficia ecclesiastica, sibi reseruari procurasse, & obtinuisse, ad hoc videlicet, vt confidentes sic decimarum apostolicarum, vel communis dicti Collegij, & annatæ, aliorumq. iurium dictæ Cameræ debitorum, solutionem eludant integrisq. beneficiorum, etiam in mensibus Apostolicis vacantium, aut alias dispositioni, sedis Apostolicæ generaliter reseruatorum, collationibus ac interdum vt beneficia ipsa, tempore procedente, in aliquorum, tunc forsan de iure inhabilium, & incapacium, vel nondum adhuc natorum, fauorem, cedantur seu resignentur, vel vt personæ inhabiles, & incapaces huiusmodi, etiam laici, pensionibus, ac fructibus, redditibus, & prouentibus ecclesiasticis fruantur, & gaudeant, seu potius il-

lis, &

lis , & facultate transferendi prædicta abutantur , in animarum suarum periculum , & perniciosum exemplū . Quare nos hanc Cardinalium eorundem,in monitionibus nostris parendo,incuriam,& tam illorum quam cæterorum Prælatorum , etiam clericorum,ac aliorum quorumcunque indignam fallaciam coniuentibus oculis diutius minimè dissimulandam, sed huic errori , ne radices altius agat. occurrendum tandem esse censentes . Et quoniam hanc ipsorum,qui monitioni nostræ non parentes,beneficia hmōi in cōfidētiā,vt præfert, retinuerūt, & fructus ex eis indebite,vel percipiendo,vel per alios nomine suo,etiam per simul atas illorum locationes , & fictas de receptis quietantias ac donationes & remissiones percipi sinendo,grauiter excesserunt Cardinalium metam,potius ex immoderata erga suos indulgentia, quam aliquo præceptorum nostrorum spretu processisse facilè reputamus, Idcirco omnes & singulas Ecclesias , etiam metropolitanas, & alias cathedrales, ac monasteria, etiam consistorialia prioratus , præposituras, præpositatus . dignitates , etiam maiores,& principales,etiam conuentuales personatus administrationes,& officia, cæteraque beneficia ecclesiastica,cum cura, & sine cura,sæcularia, & quorumuis ordinum , regularia . etiam de iurepatronatus,etiam laicorum,etiam nobilium, & illustrium etiam exfundatione,& dotatione existentia,per eiusdem Ro.Ecclesiæ etiam Episcopos Cardinales,& quoscunq; alios, etiam Patriarchas,Archiepiscopos, & alios Episcopos , ac etiam eiusdem Cameræ Clericos,in titulum commendam,vel administrationē, aut alias , in huiusmodi confidentiam iure prohibitam cuiusuis personę, vt præfertur, contemplatione vel intuitu, quouismodo recepta, illorum liberam collationem, & dispositionem nobis & Sedi Apostolicæ , harum serie reseruantes ipso iure a die receptionis eorundem vacauisse , & vacare , Ac fructuum, & pensionum reseruationes ac facultates transferendi , & collationis beneficiorum concessiones,eis, vt præmittitur factas,ac regressus, siue accessus,& ingressus concessos huiusmodi,cessasse,& cessare, ac extinctos esse,Et eosdem cardinales,seu quosuis alios,a prima die receptionis beneficiorum huiusmodi citra,fructus,redditus,

& prouentus eorundem ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum,& aliorum beneficiorum ac pensiones prædictas, indebite percipere,suosq; facere non potuisse,neq; debuisse sed illos omnes,& singulos ad Cameram eandem deuolutos fuisse,& esse, illiq; deberi, ac ipsos Cardinales,& alios,ad,quorum manus quomodolibet peruenerũt, & eorum hæredes, ad integram illorum restitutionem, in vtroque foro teneri, & ad id opportunis iuris remedijs compelli debere, actoritate apostolica, tenore præsentium,decernimus,& declaramus,& insuper vniuersis & singulis, tam eiusdem Ro. ecclesiæ Cardinalibus etiam episcopis quam Prælatis, & clericis, & alijs prædictis, præsentibus, & futuris,ne deinceps vllo vnquã tempore, aliquas ecclesias, monasteria, dignitates, vel alia beneficia, etiam, de dicto iure patronatus vti præfertur existentia,aut fructus,vel pensiones,aut regressus, accessus, inconfidentiam prædictam, aut ad effectum reseruationum huiusmodi,sibi postmodum cedentibus procurandarum,recipere præsumant,Cardinalibus videlicet,& alijs Prælatis huiusmodi, in virtute sanctæ obedientiæ, sub interdicti ingressus ecclesiæ,reliquis verò sub maioris excommunicationis latæ sententiæ pœna, per contrafacientes eo ipso incurrenda, a qua, nisi a nobis, aut Ro. Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolui nequeant, districtius inhibemus. Ac quascunque collationes,prouisiones præfectiones,commendas reseruationes, facultates, etiam transferendi, ac regrediendi,siue accedendi,& ingrediendi,ac alias dispositiones de ecclesijs,monasterijs,dignitatibus,& alijs beneficijs eorumque fructibus, & beneficiorum collationibus per nos,& alios Ro. Pontifices successores nostros, etiam motu proprio, seu cõsistorialiter, aut etiam per ordinarios, & alios inferiores collatores, etiam ad patronorum eorundem præsentationem, & alias quomodolibet cum interuentu confidentiæ huiusmodi, expresse, siue occulte, ac de iure præsumpto, & alias contra præmissa pro tempore factas, nullas, & inualidas, nulliusque roboris vel momenti fore, neque cuiquam suffragari,Sed ecclesias, monasteria, dignitates, ac alia beneficia huiusmodi, ipso iure vacare, ac nostræ & Sedis apostolicæ

apostolicæ dispositioni reseruata, fructusque, & pensiones Cameræ apostolicæ applicatos, vt præfertur, esse, & censeri. sicque in præmissis omnibus & singulis, per quoscunque Iudices, & Commissarios etiam ipsius ecclesiæ Ro. Cardinales, sublata eis quauis aliter interpretandi, & iudicandi facultate, etiam per præsumptiones, & coniecturas legitimas, & eorum arbitrio (cum alias confidentias huiusmodi, in lucem erui, & probari nō posse constet) procedendo, iudicari, & diffiniri debere. Ac quidquid secus super his a quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter attemptari contigerit, irritum & inane similiter decernimus. Non obstantibus fæl. rec. Bonifacij Papæ viij. prædecessoris nostri, de vna, & concilij generalis de duabus dietis, ac alijs constitutionibus apostolicis, necnon collegij præfati, iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrarijs quibuscunq;. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum. quod interdici, suspendi, vel excommunicari non posśint, per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Et ne quisquam vllo vmquam tempore præsentium ignorantiam prætendere posśit. volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipsæ præsentes literæ ad Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Valuas, per aliquem ex Cursoribus nostris, illarum copia ibi affixa, & dimissa, & etiam in Cancellaria Apostolica, de more publicentur, Ac in eiusdem Cancellariæ quinterno, ad maiorem partium, illas in iudicio producere volentium, commoditatem, describantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ seruationis, declarationis, inhibitionis, decreti, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius. se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo sexagesimoquarto decimoseptimo Kl. Nouem. Pontificatus nostri anno quinto.

Visa de Curia M. de Enciso. Cæ. Glorierius.

 H. Cumyn.

REGVLA societatis nominis Dei seu iuramentorũ, et bulla, S. D. N. PII IIII. D. societati concessa; hæc sunt præcipua capita confraternitatis Nominis Dei, seu Iuramentorum quæ ad cauendam Blasphemiarum, et periuriorum prauitatem, aliosq: temere iurantium abusus, à quibusdam religiosis Ordinis Prędicatorum nuper instituta est, cui Sanctißimus D. N. Pius Diuina prouidentia Papa IIII. Multas Indulgentias, aliaq. Priuilegia nunc recens concesit, quorum exemplaria ad veritatẽ excussa cum his tradũtur.

PRIMO Vnusquisque eorum, qui huic confraternitati adscribuntur summo studio, omniq. circumspectione cauere debet, ne gloriosum Dei nomen, aut Sanctorum in vanum assumat, & vt id securim adsequatur, attendere ne vnquam iuret omnino, nisi aut iusta necesitas aut fraterna charitas, aut superioris auctoritas exigat, iuxta illud, Nolite iurare omnino, & sit sermo vester, est, est, non, non. Quod si aliquando absq; huiusmodi causa iurare contingat à se ipso pœnas exigat vel elargiendo Eleemosinam, vel dicendo orationem Dominicam, aut salutationem Angelicam, vt hoc veluti freno in posterũ cohibeatur. Si quis vero eorum Sanctum Dei nomen Blasphemauerit, aut Beatisimæ Virginis, aliorum uè Sanctorum, solent huius regulæ confratres Ecclesiam eo die si commode posint adire, & flexis genibus, & procumbentes veniam petere dicentes ter Dominicã

orationem cum salutatione Angelica,& inferentes aliquam Elee mosinam in locum ad hoc deputatum.

SECVNDO Si aliqui horum cõfratrum sunt Patres familias filijs atq; domesticis quam serio præcipiant ne nomen Domini indigne ab eis assumatur,& quos intellexerint in hoc deficere pa terne admoneant,& corrigant vt tandem à proprijs ędibus dete- stabile hoc vitium eliminetur.

TERTIO Si quando extraneos aut blasphemantes aut teme re iurantes audierint quando secundum prudentiam vtile futurũ existimabunt debent modeste,ac benigne eos admonere quoties eius rei necessitas fuerit, vt semper inter eos sit qui pro Dei no- mine emulari videatur.

QVARTO Huius Societatis confratres in Die circũcisionis Domini solent, & sua peccata confiteri, & sacram Eucharistiam percipere,& festum gloriosi nominis IESV quanta possunt so- lemnitate celebrare. In qualibet autem prima Dominica cuius- libet mensis solent etiam ad Ecclesiam ab eis electam accedere, & ante Missarum maiorum solemnia priuatam Missam in com- muni audire, & priuatas Eleemosinas in vnum conferre prout cuiq; placuerit.

QVINTO Communi horum confratrum qui in aliqua Ciui tate conscribuntur assensu deliguntur duo viri probati qui huic Societati præsint, & assignantur eis alij tres aut quatuor Consi- liarij,vt ea quæ pertinent ad conseruationem, & promotionẽ hu ius Societatis in cõmuni decernant, & singulis annis ab istis qui præcesserunt designantur, quorum est officium curare vt hæ mis sæ priuatæ singulis mensibus non ommittantur, & festum Domi nici nominis solemnius peragatur, alter etiam præpositus clauẽ vnam,& vnus Consiliariorum clauem alteram secum gerit illius Capsulæ in quam eiusmodi Eleemosinæ,& iurantium pœnæ in- feruntur,vt tertio quoque mense in communi oblatam pecuniã effundant, & acceptam scripto referant, & eorum arbitrio expẽ- datur,& pro stipendijs Sacerdotum celebrantium,& pro alijs ne cessitatibus subleuandis,maxime eorũ, qui huic regulæ sunt ad- scripti.

PRAE

PRAETER hæc autem capita quæ præcipua ſunt, & omnibus videntur poſſe conuenire, pro Regionũ diuerſitate poterunt alia ſuperaddi maxime accedente Reuerendiſsimorum Epiſcoporum authoritate, quos huius regulæ ſocij, vt ſingulares patronos, ac protectores habere deſiderant.

EXEMPLAR MVLTARVM INDVLGENTIArum, quas. S. D. N. PIVS diuina prouidentia PAPA IIII. Confraternitati nominis Dei, ſiue Iuramentorũ, nũc recens conceſsit, vt in Apoſtolicis literis, ſub plumbo expeditis, continentur, infraſcripti tenoris.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Saluatoris, & Domini Noſtri Ieſu Chriſti Dei Patris Vnigeniti, qui pro redemptione generis humani de ſummo cœlorum ſolio ad huius mundi infima deſcendere, & carnem noſtram exutero virgineo aſſumere, ac poſt per actum ad noſtram inſtructionem huius vitæ curſum, in ara Crucis pretium exoluere dignatus eſt, vices licet immeriti gerentes in terris, gregemq. Dominicum noſtræ curæ diuinitus commiſſum ad vitam lucis æternæ perduci cupientes, iuxta creditum nobis Apoſtolicæ ſeruitutis officium, fideles cunctos quorum merita pro demeritis penitus ſunt imparia ad mala euitanda, veraq;, & ſolida bona amplexanda, ac altiſsimi viam ingrediendum, ſpiritualibus muneribus, indulgentijs, videlicet, & peccatorum remiſsionibus, frequenter inuitamus, vt fideles ipſi per deuotionis ſinceritatem, & bonorum operum exercitiũ, abolita ſuorum delictorum macula, Diuinæ gratiæ promerendæ reddantur aptiores, Cum itaq. ſicut accepimus, dudum dilectus filius Didacus de Victoria, Frates Conuentus Sancti Pauli Burgen. Ordinis fratrum prædicatorum, egregius verbi Dei prædicator, zelo Diuini nominis permotus ad cauendos Iuramentorum, & Blaſphemiarum abuſus vnam ſaluberrimam Confrater-

fraternitatẽ sub vocabulo nominis Dei instituti curauerit, cuius Confratrum partes potissimum essent,certa etiam regula super hoc composita, omni diligentia cauere, ne vel ipsi vel alij coram eis aliquo modo nisi ob causam grauissimam iurarent, & cōtrafacientes modeste admonerent. Et qua Confraternitate in diuersis Ciuitatibus,& oppidis Hispaniarum rite instituta,& recepta, quam plurimi Christi fideles se illi cōscribi fecerint,quorum opera, & studio blasphemiæ atq; periuria, & alias illicita iuramẽta prohibeantur. Cumq; eiusdem Confraternitatis salutaris fructus vbiq; sit manifestus, Venerabiles Fratres Episcopi partium illarum,eam,quibus possunt fauoribus promoueant. Nos vt dicta Confraternitas in maiori semper reuerentia habeat, & Christifideles eo libentius illam ingrediantur, quo ipsa amplioribus decorata spiritualium gratiarum donis, & apostolicis fuerit suffulta priuilegijs,de omnipotentis Dei misericordia,ac Beatorum Petri,& Pauli Apostolorum eius,auctoritate confisi,Omnibus et singulis dictæ Confraternitatis,vbiuis terrarũ, & locorum,nunc & pro tempore, diffusę vtriusq; sexus Confratribus in illa nunc, & pro tempore descriptis, vbilibet constitutis, siue sub eiusdem Confraternitatis regula prius edita, siue sub alia simili comprehendantur,qui vere penitentes,& confessi die festo Circumcisionis D. N. IESV Christi,annis singulis, in perpetuum, sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum susceperint, & solennitati per ipsam Confraternitatem dicto die festo vbiuis locorum,pro tempore, celebrari solitæ in toto vel in parte interfuerint, quoties id egerint, toties pro quolibet die festo huiusmodi plenariã omnium, & singulorum,ac quoruncumq; peccatorum suorum indulgentiam,remissionem, & absolutionem,prout in anno Iubilei Ecclesias almæ Vrbis, & extra illos muros ad id deputatas visitantibus concedi solet, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus,& elargimur. Illis vero dictæ Confraternitatis Confratribus,qui qualibet prima die Dominica cuiusq; mensis totius anni,similiter in perpetuum, ad missam,quam ipsi Cōfratres audire tenentur,audiendam conuenerint, quotiescunq; id egerint Decem annos, qui vero temere iurantem, aut alias

Diuinum

Diuinum nomen blaſphemantem,modeſte,& charitatiue,quandocũq; admonuerint, pro qualibet vice Centũ dies,& cuicunq; verbi Dei prædicatori ſeculari vel cuiuſuis ordinis regulari qui Chriſtifideles vt à Iuramentorum abuſibus caueant, & hanc dictæ Confraternitatis regulam amplectantur hortatus fuerit. Decem annos, de iniunctis ſibi penitentijs in forma Eccleſiæ conſueta,miſericorditer in Domino relaxamus. Et vt ipſi Confratres dictę Indulgentiæ plenarię Deo propitio facilius efficiãtur participes,illis, & eorum ſingulis,Indulgentiam huiuſmodi conſequi volentibus, vt dicto die feſto Circuncißionis occurrente, quoſcunq; ſibi bene viſos idoneos presbiteros ſeculares, vel cuiuſuis ordinis regulares, per Ordinarium loci approbandos, in ſuos poſsint eligere confeſſores, qui confeſsionibus ipſorum diligenter auditis, eos & eorum quemlibet, ab omni & quacunq; excommunicationis,etiam maioris,& ab omnibus & quibuſuis alijs Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris,& pænis, à iure vel ab homine, aut mixtim,quauis occaſione vel cauſa latis, ſaluo tamen iure tertij,necnon ab omnibus,& ſingulis,eorum peccatis,criminibus,exceſsibus,& delictis,quantumcunque grauibus, et enormibus,etiam locorum ordinarijs,ac Sedi Apoſtolice, reſeruatis, præterquam in Bulla die Cęnæ Domini legi conſueta contentis, dicta auctoritate Apoſtolica abſoluere,eisq; pro cõmiſsis pœnitentiam ſalutarem iniungere, Ac vota quæcunque (Hieroſolimitano,viſitationis Liminum Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli prædictorum de Vrbe, ac Iacobi in Compoſtella, necnon Caſtitatis, & Religionis votis dũtaxat exceptis, (in alia pietatis opera commutare valeant, ſimiliter auctoritate, & tenore premiſsis perpetuo concedimus, & indulgemus. Mandantes Vniuerſis, & ſingulis, Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis,ac dilectis filijs cęteris Eccleſiarum Prçlatis, & locorum ordinarijs,vbilibet conſtitutis,eorumq; generalibus in ſpiritualibus Vicarijs, & Officialibus, quod vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro Confratrum prędictorum parte, fuerint requiſiti, eidem Confraternitati prędictę pro poſſe faueant,fauorabiliter aſsiſtant, & illam promouere procurẽt.

prçſentibus

Prȩſentibus quas nunquam etiam per nos aut alios Rom. Pont. ſuceſſores noſtros vel ſedem prȩfatam, aut alios quoſcunq; quomodolibet reuocari, ſuſpendi, limitari, reduci, modificari, aut eis in aliquo derogari poſſe, neq; ſub quibuſuis illarum, aut ſimiliũ, vel diſsimilium, indulgentiarum, & gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, alterationibus, modificationibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus, in genere, vel ſpecie, per nos vel ſuceſſores noſtros, aut ſedem prȩfatos, ſeu quo ſuis alios, & ex quibuſcunq; etiam vrgentiſsimis, & neceſſarijs cauſis, etiam pro fabrica Baſilicȩ principis Apoſtolorum de vrbe, Cruciata ſancta, vel expeditione contra infideles, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Principum, vel aliorum inſtantiam, ſeu eorum contemplatione, vel etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac alias quomodolibet canonice vel de facto nunc, & pro tempore, impoſitis, & factis, vllatenus vnquam cõprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt toties in priſtinum, & validiſsimum ſtatum reſtitutas, & de nuouo conceſſas fore, ac cenſeri decernimus perpetuis futuris temporibus duraturas. Volumus autem quod ſi aliqua alia indulgentia fuerit per nos in aliquo loco eidem Confraternitati conceſſa, præſentes quo ad locum huiuſmodi nullæ ſint. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo Quarto Id. Aprilis Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

PRAETER HAS AVTEM INDVLGENtias, quæ in apoſtolicis literis ſub plumbo expeditis cõtinentur, alia etiã Priuilegia ab eodem S. D. N. PIO IIII. per Breue apertum ſub anulo Piſcatoris conceſſa ſunt, infraſcripti tenoris.

PIVS PAPA IIII.

AD Perpetuam Rei Memoriam &c. (Et quibuſdam interpoſitis ſic de verbo ad verbum ſubiungitur) vt autem ipſi confratres maiorem à nobis gratiam reportaſſe lætentur.

tur. Eisdem confessoribus confratribus Iuramenta quælibet sine alterius præiudicio relaxare, Et præterea eidem Confraternitati, illusq; confratribus, ac Ecclesijs, Capellis, & Altaribus eiusdē, vbilibet constitutis, quod quocunque tempore cuiusuis interdicti, & cessationis à Diuinis videlicet, dicto die festo Circumcisionis à primis Vesperis vsque ad occasum solis eiusdem diei inclusiuæ Vesperæ, Missæ, aliaque diuina officia in ipsius Confraternitatis Ecclesijs, Altaribus, ac Capellis, solenniter, & publice celebrari, qualibet vero prima de Dominica cuiuslibet mensis priuati Confratres priuatam eorum Missam, ex eiusdem Confraternitatis instituto celebrari solitam celebrari facere, illiq; interesse, Ac insuper semel in mense Dominicū corpus suscipere, Et quoties aliquem vel aliquos ex ipsis Confratribus quocunque tempore interdicti, seu cessationis à Diuinis huiusmodi, mori contigerit, dummodo causam non dedirit interdicto eorum cadauera cum moderata pompa sepeliri, libere, & licite valeant. Et interim interdicta & cessationes à Diuinis huiusmodi quæcunque sint, ad effectum præmissum omnino suspensa esse censeantur, Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, &c. (& nonnullis interpositis subditur) Volumus autem ne Confratres ipsi, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddantur procliuiores ad illicita commitienda, quod si à sinceritate fidei, & vnitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & deuotione nostris, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum Canonicæ intrantium destiterint aut ex confidentia eiusdem gratiæ, aliqua commiserint, gratia, & literæ quoad eligendum confessorem huiusmodi illis nullatenus suffragentur. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die decima tertia Aprilis. M D L X IIII.

Bulla

BVLLA S. D. N. D. Pij diuina prouidẽtia Papæ V. ſuper clauſura, & reformatione quarumcunq; Monialium.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

CIRCA Paſtoralis officij nobis, meritis licet imparibus, deſuper commiſsi curam (quantum nobis ex alto permittitur) inuigilantes, aſsidue ad ea per quę ſingulis erroribus, & exceſsibus obuiatur, ac perſonis quibuslibet, præſertim fœminei ſexus virginitatem ſuam Altiſsimo vouentibus ſub Religionis iugo Chriſto Saluatori in caſtitatis holocauſto famulari affectantibus, a ſemita Iuſtitiæ, & honeſtatis declinantibus, ne quicquam in eis reperiatur incongruum quod in Regularis ponat honeſtatis gloria maculam, & diuinam merito poſsit offendere Maieſtatem, opportune ſuccurritur, libẽter intendimus ac in his noſtræ vigilantię partes propenſius impartimur, prout id in domino ſalubriter expedire cõſpicimus. Hac igitur perpetuo valitura Conſtitutione inhærentes etiam Conſtitutioni fel. rec. Bonifacij Papæ viij. prædeceſſoris noſtri quæ incipit Perículoſo, & decretis Concilij Tridentiñ ſuper clauſura Monialium æditis, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ſtatuimus atq; perpetuo decernimus, vniuerſas, & ſingulas Moniales præſentes atq; futuras cuiuſcunque religionis, ordinis, vel militiarum etiam hieroſolimitañ ſint, quæ vel iam receptæ ſint, vel inpoſterum in quibuſuis Monaſterijs ſiue domibus recipientur, & tacite, vel expreſſe Religionem profeſſæ, etiam ſi Conuerſæ, aut quocunq; alio nomine appellentur, etiam ſi ex inſtitutis, vel fundationibus earũm Regulæ ad clauſuram non teneantur, nec vnquam in earum Monaſterijs, ſeu domibus etiam ab immemorabili tempore, ea ſeruata non fuerit, ſub perpetua in ſuis Monaſterijs, ſeu

domibus debere de cætero permanere clausura iuxta formam dictæ Constitutionis fe.re. Bonifacij Papæ viij. prædecessoris no stri quæ incipit Periculoso in sacro Concilio Tridentin approbatæ, & innouatæ, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam districte obseruari mandamus. Quod si aliquæ Moniales forsan reperian tur quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fun datione regulæ suæ fretæ animo obstinato huic clausuræ resistant, aut quoquomodo reluctentur, ordinarij vna cum Superioribus earum omnibus iuris, & facti remedijs compellāt easdem tanquam rebelles, & incorrigibiles ad præcise subeundem dictam clausurā, & perpetuo obseruandum. Mulieres quoq; quę Tertiariæ, seu de pænitentia dicuntur cuiuscunq; fuerint ordinis in Cōgregatione viuentes, si & ipsæ professæ fuerint ita vt solemne votum emiserint ad clausuram præcise, vt præmittitur, & ipsæ teneantur. quod si votum solemne non emiserint ordinarij vna cum Superioribus earum hortentur, & persuadere studeāt, vt illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem, & professionem eidem clausuræ se subijciant. quod si recusauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint scandalose viuere, seuerissime puniantur. Cæteris autem omnibus sic absq; emissione professionis, & clausura viuere omnino volentibus interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum ordinem, Religionem, Congregationemue recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas decernimus & nullas, prout etiam præsenti decreto irritas facimus & annullamus. Porro ne Moniales, vel Tertiariæ prædictę propter hanc clausuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus maxime inpertinentibus ad illarū victum patiantur, sed vt eis opportune consulatur, auctoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus, præcipimus, atq; mādamus ordinarijs, & superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemosynas per Conuersas quæ non sint professæ, vel si

professæ fuerint sint tamen ætatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen Monasterium, degant, & non ingrediantur clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus ex earum Constitutionibus permissis, & de earum domibus exire nō possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis nisi de licētia ordinarij, vel earum Superiorum. Et de cætero nullæ aliæ Conuersæ professæ recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum, vel prælatorum possint. quod si aduersus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, prout ex nunc nullam irritam facimus, & annullamus. Quod si prędicto modo necessitatibus Monialium, & Mulierum Tertiariarum prædictarum succurri sufficienter non poterit, mā damus ipsis Ordinarijs, & Superioribus earum, vt ipsi prouideāt de alijs personis pijs, & Deo deuotis, quæ fidelium eleemosynas colligant, vel alias eo meliori, & commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum Monialium, & Mulierum prædictarum, arbitrio ordinariorum, & Superiorum earundem, & pro vt eis cōgruentius expedire videbitur prouideatur, & succurratur. Et ne propter Monialium numerum excessiuū clausuræ obseruatio violetur, inhærentes etiam similiter dispositioni dictæ Constitutionis Bonifacij, & Concilij Tridentiñ. decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinarijs districte in hibendo pręcipimus, & mandamus, ne plures in earum Monasterijs recipiant, & ad mittant, siue recipi, & ad mitti permittant, quam ex proprijs redditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commode sustentari possint. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ vniuersis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in Ciuitatibus, & diæc. proprijs præsentes nostras literas publicari faciant, ac in Monasterijs Monialiū sibi ordinario iure subiectis, in his vero quæ ad Roman. mediate, vel immediate spectant Ecclesiam, Sedis apostolicæ auctoritate vna cum Superioribus eorundem Monasteriorum clausuram, vt præmittitur, quamprimum poterint seruari procurent.

Contra-

Contradictores atq; rebelles per censuram Ecclesiasticam appel lationе post posita compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Ac vt hoc tam salutare decretum facilius obseruetur,omnes principes sęculares,& alios dominos, & Magistratus temporales rogamus,requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ domini nostri Iesu Christi eisdem in remissionem peccatorum iniungētes,quod in præmissis omnibus eisdem Patriarchis,Primatibus,Archiepiscopis, & alijs Moníaliū superioribus assistant,ac suum fauorem,& auxilium præstent,ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant. Præmissis cō stitutionibus,& ordinationibus Apostolicis,statutis, & consuetu dinibus etiam immemorabilibus, etiam per sedem Apostolicam approbatis,& confirmatis priuilegijs quoque indultis, et literis Apostolicis,etiam in fundatione, & institutione eisdem monaste rijs,vel domibus, et Monialibus sub quibuscunque verborū formis & clausulis irritantibus,et alijs decretis quibuslibet concessis,confirmatis ac etiam iteratis vicibus approbatis,& innouatis. Quibus omnibus etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumq. totis tenoribus specialis,specifica,expressa, et indiuidua,non autem per clausulas generales idem importantes mē tio seu quæuis alia expresio habēda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret,tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur pro sufficienter expresis habentes,quo ad effectum validitatis nostræ constitutionis tantum derogamus. Cō trarijs quibuscūque aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, aut suspendi nō possint per literas Apostolicas non facientes plenam,& expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionē. Per hoc autem in Monasterijs exemptis ordinarij locorum quoad alia nullam sibi credant iurisdictionem, vel potestatem aliquatenus eis attributam. Volumus autem quod præsentes literæ, ad valuas Basilicæ beati Petri Apostolorum principis, & in Cancellaria no stra,ac acie Campi Floræ publicentur, & inter Constitutiones ex trauagantes perpetuo valituras conscribantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæcunque loca deferri volumus, &

etiam

etiam declaramus quod earum Transſumptis etiã impreſsis manu alicuius Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides vbicunque adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre approbationis in nouationis, ſtatuti, decreti, mandati, interdicti, prohibitionis, annullationis, præcepti, inhibitionis, requiſitionis, obſecrationis, iniunctionis, derogationis declarationis, & volũtatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno incarnationis Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo Sexto. Quarto Kl. Iunij Pon. Noſtri Anno Primo.

Viſa de Curia Io. Riuetius. ff. Cæ. Glor.

H. Cumyn.

LA MEDESIMA BOLLA VOLGARE.

INVIGILANDO noi (quanto però da Dio ci è permeſſo) circa la cura del Paſtorale officio di ſopra commeſſoci, (benche indegnamente) aſsiduamente volentieri ſiamo intenti à quel le coſe, per le quali à tutti gli errori, & eccesſi ſi viene ad obuiare, & oportunamente ſi ſoccorre à quali ſi voglia perſone ſpecial mente del ſeſſo feminile, che hauendo votato la virginità ſua à Dio, & ſotto il giogo de la Religione con affetto, cercando di ſeruire à Chriſto Saluatore noſtro nel ſacrificio de la caſtità, declinano da la via della giuſtitia, & honeſtà, acciò niuno inconuenĩte in quelle ſi ritroui, che macchi la gloria della honeſtà Regolare, & meritamente poſſa offendere la Maeſtà diuina; & in queſte coſe piu prontamente ſiamo vigilanti, ſecondo, che conoſciamo eſſere ſalutare, & eſpediente nel Signore. Con queſta dunque cõſtitutione da durare perpetuamente ſeguendo ancora la coſtitutione

tutione de la felice record, di Bonifacio Papa Ottauo nostro Predecessore, la quale comincia, Periculoso, & gli decreti del Concilio di Trento, publicati sopra la clausura delle Monache, con la autorità Apostolica per tenore delle presenti statuimo, & perpetuamente ordiniamo, che tutte, & singole Monache presenti, & future, di qual si voglia religione, ordine, ò militie, etiam Hierosolimitane, le quali ò già siano state accettate, ò vero saranno accettate per lo auuenire in qual si voglia Monasterij, ò case, & tacita, o vero espressamente haueranno fatta la professione, etiã che si chiamino conuerse, ò con altro nome, etiam che secondo gli instituti, e fondationi de la loro Regola non siano tenute alla clausura, & quella mai non si sia seruata ne i monasterij, & case loro, etiam da tanto tempo in qua, che non ci sia memoria in contrario, debbino da qui innanzi sotto perpetua clausura stare ne i Monasterij, & case loro, secondo la forma de la predetta costitutione de la fe. re. di Bonifacio Papa Ottauo nostro predecessore; la quale comincia Periculoso, approbata, & innouata nel sacro Cócilio Tridentino; la quale Noi con la sodetta autorità similmente approuiamo, & innouiamo in tutto, & per tutto, & strettamẽte comandiamo, che sia osseruata. Et se alcune Monache per auentura si trouano, le quali confidatesi nella consuetudine etiã immemorabile, ò nello instituto, ouero nella fondatione de la loro regola, ostinatamente resistino à questa clausura, ò in qualũque modo repugnino, gli ordinarij insieme con li loro superiori con ogni remedio di ragione, & di fatto come ribelle, & incorrigibile le costringhino à stare precisamente sotto detta clausura, & perpetuamente osseruarla. Le Donne ancora dette Tertiarie, o vero di penitentia, di qual si voglia ordine, che viuono in Congregatione; se queste tali saranno talmente professe, che habbino fatto solenne voto; esse ancora siano precisamente tenute alla clausura, si come è detto: ma se non haueranno fatto solenne voto; gli ordinarij insieme con gli loro superiori le essortino, & persuadino à farlo, & parimente alla professione, & dopo il voto, & la professione si sottomettino anco esse alla medesima clausura. il che se recusaranno, & alcune di esse si ritroueranno scãdalosamente

dalosamente viuere, siano con ogni seuerità punite. A tutte le altre poi, che cosi vogliono viuere senza fare professione, & senza stare in clausura, vetiamo, & in perpetuo prohibimo, che per lo auuenire in nissun modo accettino alcuna altra nello ordine, Religione, ò congregatione loro. Et se pure contra questa nostra prohibitione, & decreto accetteranno alcune, quelle vogliamo che siano totalmente inhabili à potere cosi viuere, dichiarando esſere irrite, & nulle ogni loro profeſsione, & accettatione, si come per il presente decreto le irritiamo, et annulliamo. In oltre acciò le Monache, ò Tertiarie sodette non patiſchino per questa clausura alcuno danno, ouero incommodo nelle neceſsità loro, maſsime circa il vitto; ma siano prouiste opportunamente; con la medesima autorità Apostolica statuimo, dichiariamo, ordiniamo, & comandiamo à gli ordinarij, & superiori loro, che habbino cura di fare raccogliere le elemosine de fideli da le Conuerse, che non sono professe, ouero se pur saranno professe, siano almeno di età di quaranta anni; & habitino nelle case contigue, fuori però del Monasterio, & non entrino nella clausura delle altre Monache; eccetto ne i casi permeſsi dalle loro costitutioni; & non poſsino vscire delle loro case per raccogliere dette elimosine se non con licenza dello ordinario, ò de gli loro superiori: & per lo auuenire niune altre Conuerse professe poſsino essere piu riceuute, etiam che vi fosse il consenso de loro superiori, ouero Prelati. Et se pur contra questa nostra prohibitione saranno riceuute, tale recettatione sia nulla, irrita, & vana, si come da hora la irritiamo, & annullamo. Et se per questa via non si potrà à bastanza soccorrere alle neceſsità delle Monache, & dõne Tertiarie sodette; ordiniamo ad eſsi ordinarij, & superiori loro, che prouedino di altre persone pie, & diuote à Dio, le quali raccolglino le elimosine de fideli; ò altramente si proueda, & soccorra in quel migliore, & piu commodo modo, che sara poſsibile etiam cõ la opera manuale di esse Monache, & donne predette ad arbitrio de gli ordinarij, & superiori di esse, & secondo che à esſi parerà essere piu iſpediente. Et accio che non si venghi à violare la osseruanza della clausura per l'eccesſiuo numero delle

